PRIMA PARS DESCRIPTIONIS ITINERIS NAVALIS IN INDIAM ORIENTALEM, EARVMQVE RERVM QVAE NAVIBVS BATTAVIS OCCVRRERVNT:

VNA CVM PARTICVLARI ENARRATIONE CONDITIOnum, morum, œconomiæ populorum, quos adnavigarunt. Præterea de numiſmatis, Aromatibus, Speciebus & mercibus ibidem Venalibus, eorumque pretio. Inſuper de Inſularum apparentijs, tractibus, Oriſque regionum maritimis, Vna cum incolarum ad vivum delineatione; Cuncta diverſis tabulis illuſtrata: omnibus mare navigantibus & rerum exterarum ſtudioſis, lectu periucunda.

Authore G. M. A. VV. L.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA



AMSTELRODAMI,
Ex Officina Cornelij Nicolaj, Typographi ad ſymbolum Diarij, ad aquam.
Anno M. D. XCVIII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AD LECTOREM.

AMice Lector, quod nullæ regiones exteræ, & longinquæ, ad commercia tractanda, hactenus à Germanis Belgis ſint luſtratæ; id factum conijcio, quod mediocri ſemper in Hiſpanijs facto lucro contenti, ſe continuerũt. Sed poſt, continuis navium retentionibus, rerum ſuarum publicationibus, Mercatorum, & nautarum detentionibus moleſtati; eo ſub prætextu, quod ex inimicis appulerant Provincijs; aut vt Inquiſitionis Hiſpanicæ addicerentur examini; aut vt proprijs ſumptibus, abſque ulla remuneratione, Hiſpano regi inſervirent, magno ipſorum detrimento: tandem conſiderantes moleſtiarum dictarum nullum finem, & in dies maiorem earum aggravationem, ad claſſem Hiſpanicam, & ſuſtentandum & augmentandum: Mercatores damni perpeſſi memores, & futuris proſpicientes; decreverunt ſocietatem inire; & ad alias regiones exteras & remotas navigationem inſtituere. Rebus igitur rite perpenſis, deliberarunt quatuor inſtruere naves, quæ Indiam peterent Orientalem, ex qua annis ſingulis, magnæ in Luſitania advehuntur opes; ijſque in regionibus, in quibus Luſitanis nulla eſt authoritas & Iuriſdictio; tentarent an cum Indis, & inſularum incolis, firma aliqua commercia tractare & obtinere poſſent: ſic ſperantes ſe effugere poſſe Hiſpanorum tyrannidem in annum 1594. æquo animo toleratam; & ſpecies, Aromata, aliaque; quorum forum Luſitania ſibi vendicat, in has advehere regiones, in magnum Germaniæ inferioris Provinciarum Vnitarum commodum, & particularium Aromatariorum vtilitatem. Quatuor harum navium fabrica inchoata eſt menſe Maio, anno 1594., quarum duæ, capaces erant ſingulæ onerum 230. tertia onerum 130. & quarta, Pinaſſa vulgo dicta, onerum 25. in reliquarum trium miniſterium fabricata. Harum autem primæ, nomen erat Mauritius: alteræ, Hollandia: Tertiæ, Amſtelrodamum: Quartæ, Columbula: quæ cum eſſent fabricatæ, præparatæ, & armatæ tribus & viginti tormentis AEneis; 43. ex ferro fuſis; & 36. Catapultis petras iaculantibus; viriſque 249. ad vrbem Amſtelrodamum, die 4. Martij 1595. recenſitis; Texeliam die decimo navigarunt: dieque 21. ad navium ſtationem pervenerunt. Ego vero, qui a tenens annis, ſummo deſiderio affectus fui, ad peragrandas regiones exteras & remotas, a Societatis Curatoribus, Comiſſarius ordinatus & conductus fui; dieque vigeſimo nono dicti menſis, cum aliquibus ex Curatoribus Texeliam profectus, ipſis Calendis Aprilis navem conſcendi, ad deſtinatum noſtrum iter nauticum, Dei Opt. Max. favore, inchoandum: ipſum humiliter invocans, vt ſuam divinam miſericordiam concedere dignaretur, ad iter hoc noſtrum, ad ipſius gloriam, perficiendum. Vale.

G. M. A. VV. L.

PRIMA PARS DESCRIPTIONIS ITINERIS NAVTICI IN INDIAM ORIENTALEM, EARVMQVE RERVM QVE NAVIBVS BATTAVIS OCCVRRERVNT.

Vna cum enarratione conditionum, morum, & Oeconomiæ populorum, quos adnavigarunt: deque numiſmatis, Aromatibus, Pigmentis, & mercibus ibidem venalibus, &c.

Quomodo, & quando mari ſe commiſerunt: quæque hinc ad Promontorium uſque Bonæ Spei ipſis evenerunt.

CAP. 1.

ANNO ſalutis 1595. ipſis Calendis Aprilis, quatuor naues Itineri Indico deſtinatæ, Texeliæ aderant iam præparatæ, ad navigationem inſtituendam verſus Africæ frontem, ſeu Promontorium Bonæ Spei.

Anno 1595.

Die 2. Aprilis, in Dei nomine ora ſolvimus, velaque vento commiſimus, enavigantes Hiſpanorum oſtium. Die 3. nobis ſe iunxerunt naves quinque, Hiſpaniam petentes. Die 4. navem præſidiariam Reginæ Angliæ, eiuſque Pinaſſam, in ipſo freto, inter Portum Iccium & Dovram convenimus; ubi & alias quatuor naves nos ſequentes conſpeximus, quas alia navis præſidiaria Anglica, una cum eius Pinaſſa, adnavigavit. Sub Solis occaſum Vectem inſulam vidimus, naveſque nonnullas ad anchoram, ſub Anglia poſitas: & die ſexto Aprilis Heiſſandum deteximus. Die ſeptimo naves quinque prædictæ, Hiſpaniæ oras petentes, nos deſeruerunt. Die 9. coniecimus nos eſſe ad Ortum & Occaſum cum Promontorio Celtico, miliaria 25. a litore remotos: & die 11. plures ex noſtris nautis, pro veteri more, baptiſavimus, eo quod cōiecerint diſtantiam miliarium 50. ab Erithæa, vulgo Barlenges, ſubeſſe 40. grad. Poli. Sic navigantes expanſis velis, & felici vento, die 14. navem conſpeximus, Promontorium Sacrum petentem, quæ Dromas videbatur. Die 16. duas conſpeximus parvas inſulas ad Notapeliotem Portus Sancti, ſitas: dieque ſequenti exiguas inſulas, vulgo los Cerres de Madera: ſed die 19. mane, inſulas *Palma, Teneriffa, Gomera*; & ſub veſperam *El fierro* vel Pluitalam, ad quam certa navis curſum direxit, quam ſequuti ſumus, ſperantes ipſam conſequi poſſe, literaſque deferendas dare, quibus Dominis Curatoribus proſperam noſtram ſignificaremus profectionem; quam conſequi non licuit, ob noctem ſupervenientem. Iam curſum noſtrum perſequētes, die 25. Aprilis, inſulam, vulgo *Bona viſta* dictam, deteximus, quam præternavigavimus. Inſula eſt ſcopuloſa & arida; a latere Ortivo duos ſcopulos habens: deliberavimus anchoram ſolvere ſub inſula Maij, quod ſequenti die factum fuit, ad latus Occiduum, in gurgite 16. Orgyiarum, & fundo arenoſo, nobis ad Africum exiſtente inſula D. Iacobi, quæ a Luſitanis habitatur. Interim quod occupati eſſent in deponendis aliquibus tormentis, in Inſulam Maij deſcendimus; in qua bina parva dirupta templa invenimus, & aliquas domos collapſas & deſertas. Inſula eſt arida, & tota fere petricoſa, in qua Hædi, Gallinæ Numidicæ, ac varia avium genera abundant. Salis dives eſt, qui a mari in inſulam mittitur, ſed difficulter ad naves transferri poteſt, ob brevia æſtuantia. Ad Ortum fluviolum habet aquæ dulcis, cui adſtabant nuces, quas Cocos vocitant. Hœdos multos cepimus, quos ad naves portavimus. Sequenti die in terram iterum deſcendentes, vndecim invenimus equos: & hœdos venantes, aliquot ad naves detulimus, tormentoque eiaculato, curſum perſecuti ſumus ad Ypophœnicem, ſub 5. gradibus latitudinis: dieque 28. huius, Solem habuimus verticalem.

Tempus ſolutionis ab oris, & quæ naves a nobis viſæ, & alloquutæ.

Cauſa quare navem perſequuti ſumus.

Deſcenſus in terram.

Hœdorum venatio.

Die 4. Maij mane, ſub altitudine ſex graduum, vidimus duas naves Luſitanas, vulgo Craecken dictas: quorum altera dexteram, altera ſiniſtram nauis noſtræ tenuit: ſed ubi nos perceperant, nos fugere conabantur; eaque de cauſa ſæpius velum attollentes, & tormenta duo eiaculantes, vt eas deſereremus; tandem coactæ fuerunt nos ad navigare, qui eorum in itinere poſiti eramus. Sed invicem appropinquantes, apluſtra deduximus, vt iniunctum nobis erat, quod & ipſi fecerunt: convocatoque Conſilio, emiſſis ſcaphis noſtris, ab ipſis cōiecturam diſtantiæ a terra inquirimus, quam 80. miliarium affirmarunt; quæ duæ naves cum tribus alijs, 25. diebus elapſis Olyſſipona ſolutæ, Goam navigabant. In altera harum erant Archiepiſcopus Goanus, claſſiarij 450. & nautæ 150. vt dixerant, & 18. tormenta ænea. Interrogabant ipſi quo tenderemus: quibus reſpondimus, ignotas quærere regiones, quæ Regis imperio non erant ſubditæ. Donaverunt nobis certas capſulas carnium Cotoneorum, & Confectiones: nos contra illis caſeos aliquos & pernas. Qui nos rogantes, vt alium ſumeremus curſum; eo quod illis iniunctum erat nulllis cum navibus navigare, niſi quæ Regia gerebant apluſtra, eiaculato hinc inde tormento, ho-

Sub altitudine Poli 6. grad. vidimus duas naves Luſitanas.

noris ergo, navem comitem inſequuti ſunt, quæ ſemper hos in conſpectu tenuit: & nos curſum noſtrum perſequentes, ſequenti die adhuc eadem conſpeximus vela.

Septem naves detreximus.

Die 9. Maij, ingens nobis exorta eſt tempeſtas, quæ parvo tempore duravit. Die 10. conſpeximus ſeptem naves, ſed ob malaciam non licuit eas conſequi, niſi die ſequenti, tempore pomeridiano: fueruntque naves quinque Batavæ, & duæ naves actuariæ Luſitanæ: Nos autem invicem cognoſcentes, præ gaudio reciproce tormenta aliqua eiaculavimus: ſcaphiſque eductis, ipſos acceſſimus. Donabant nobis Confectiones & Saccharum, nos econtra illis Cereviſiam, aliaque cibaria: ſed ſuperveniente nocte ab eis receſſimus: qui hoc noctis ſpatio navim Mauritium & Pinaſſam, e conſpectu amiſimus; ſed ſequenti die a meridie ipſas iterum conſequuti ſumus. Iam

Tabula frontis Africæ, ſive Promontorij Bonæ Spei, aut anguli Auſtralis Africæ, quod ſitum eſt ſub Altitudine Polari 34. grad. cum ſemiſſe, ad Auſtrum lineæ Æquinoctialis: inſuper & Portuum, Scopulorum, Pulvinorum; & Vadorum: cum vera delineatione Sinus Aquæ S. Blaſij, vulgo Aqua de S. Bras, qui nobis portus commodus erat ad renovandam aquam dulcem; & ſumme neceſſarius ad ægros noſtros recreandum. Hunc ſinum ſumus ingreſſi die 4. Auguſti, 1595. Hic recuperavimus, carnes, aliaque confortantia. Pars eſt aurifera Regionis Regni Monomotapæ.

Facies terræ Promontorij Bonæ Spei cum præternavigatur: diſtatque à Promontorio de Aguelhas miliaria Germanica 22.

A. *Fluviolus ex quo aquam dulcem hauſimus.*

B. *Scopulus, aut exigua Inſula, ſub qua poſiti eramus in gurgite 10. aut 11. Orgyiarum. Sinus hic ſitus eſt ad Orientē frontis Africæ, ſub latitudine Auſtrali 24. graduum.*

C. *Aves ad vivum depictæ, quæ circa Promōtorium Bonæ Spei conſpiciuntur; ſuntque læta ſigna eiuſdem Promontorij.*

D. *Trombe, quæ fluctuantes videntur: ſuntque ſigna appropinquationis dicti Promontorij.*



dictarũ navium prætoriæ, nocte præcedente, maior ſtilus a fulmine ſive tonitru præcipitatus fuit. Invenimus hic fluctus validos, qui his 5. aut 6. diebus continuis nos repulerunt, vidimuſq; aliquem aquarũ Voticē. Proſequētes curſum noſtrum verſus Braſiliam ad Notolybicum, quantum ventus conceſſit, qui hic frequentius eſt Notapeliotes, magna tranquilitate & imbribus commixtus; qui a Luſitanis *Tribuadas* vocatur, & repente tali violentia irruit, vt cælum ruere dicas: à quo ſumme cavendum eſt, qui naves aliquando obruit; vt accidit in ſecunda Luſitanorum claſſe, quæ in Indiam Orientalem pertexit, quando quatuor naves ſimul perierunt: non tamen

vltra

vltra horam aut ſeſquihoram durat: cui rurſus tanta ſuccedit tranquillitas, vt mare congelatum dicas. Sic die 4. Iulij magna maris tranquillitate, & calore, Lineam Aequinoctialem vento Notapeliotico ſuperavimus, qui ibi; & inde ad Abrolhos viget, & integro ſpirat anno. Quare quam cito dictam tranſieris lineam, ad Orientem, quantum fieri poteſt, dirigendus eſt curſus, ad ſuperandum Abrolhos; qui ſcopuli ſunt ad Oras Braſiliæ, miliaria fere 30. in mari ſe extendentes. Nam qui ipſos ſuperare non poteſt, ab itinere decidit, & reverti debet. Hos ſcopulos & brevia ſuperauimus die 25. Iunij, ſub altitudine Poli antarctici 18. graduũ, quare ſummo gaudio affecti fuimus, eaque de cauſa genio ſtrennue potando indulſimus. Circa diem primum Iulij, primus æger obijt in claſſe, & ex victu nimium ſalſo, validus claſſem invaſit morbus, vulgo Scuerbuic dictus.

Die 4. Iunij lineam Æquinoctialem tranſivimus.

Die 25. ſcopulos Abelhos ſub Poli Antarctici altitudine 18. graduũ ſuperavimus.

Die 23. Iulij, ceſſavit Notapeliotes, cepitque flare Zephyrus, ſub latitudine 30. graduum. Morbus in dies magis crevit, quare mœrore afficiebamur.

Die 1. Auguſti, varias conſpeximus arundines cum radicibus, quas Trombas vocant: quæ egregium notitiæ ſignum ſunt: eoque magis quod multas vidimus aves nigras, roſtris albis; ac cineritias variegatas, quæ non longe à terra ſe tenent.

Signa notitiæ bona.

De viſu Promontorij Bonæ Spei, & quid ibi in terra accidit.

CAP. 2.

Die 2. Auguſti navigantes vento Boreo, ad Borrholybicum, deteximus Promontorium Bonæ Spei, quod omnes ſummo gaudio affecit: nam ſecundum coniecturam diu id expectavimus: aberamus ab eodem miliaria 5. fere ad Aquilonem: fuitque terra alta & montoſa: & curſum direximus ſecundum litora, ad Eurum, invenimuſque terram ſucceſſive humiliorem & planiorem; & emiſſa bolide fundum argilloſum tentavimus, in gurgite 57. Orgyiarum. Sequenti die flumen percepimus, ad quod pulvinus erat, & ſub veſperam apparuit Promontorium d'Aguilhas, exiſtens angulus declivis terræ; & profundum dimenſi ſumus 35. orgyiarum, eratque fundus ex arena glareoſa: declinavimus ab aggere, ſed in quadrãte diurno, quarti diei Auguſti, iterũ direximus verſus aggerem, & conſpeximus retro nos angulum declivem. Circa Circium Pinaſſa ſinum ingreſſa eſt quæ nullam idoneam navium ſtationem reperiens, tormentum eiaculata eſt; quare nos hunc Sinum prænavigantes, Sinum S. Blaſij, vulgo Agua de S. Bras, intravimus; qui omnibus ventis patens eſt, excepto Boreali, &

Promontorium Bonæ Spei detectum.

Sinus S. Blaſij forma.

Promontorium Daguilhar.



Facies Promontorij d'Aguilhas, cum tibi ad Caciam ſitum eſt.

circundatur alta duplicata terra. Ad angulum Occiduum, arbor eſt, quæ cum prima apparet, arcem parvam refert. Hic anchoram demiſimus in gurgite 10. aut 16. Orgyiarum, & fundo arenoſo: ſed quanto propius ponitur angulo Occiduo, tanto ſecurius erit; ob turgidas maris vndas, quæ ab Auſtro incidunt. Nihil ibi eſt quod metuas, præter id quod præ oculis habes. Deliberatum fuit die ſequenti in terram mittere viros octo, ad explorandũ terram, quod factum fuit; navigantes cum Celoce & ſcapha: ſcapha quidem ad partem Orientalem; quæ ſummum ſubmerſionis periculum paſſa eſt; quia valida tempeſtate oborta in linis pulſa fuit. Celox verò ad partem Occiduam appulit; ubi in terram deſcendentes, altiora terræ petebant, vt terram luſtrarent. Interim ſcapham acceſſerunt 7. Mauri, qui noſtrorum veſtigia ſequentes, ipſos aſſequuti ſunt. Noſtri illis oſtenderunt tertos cultros, pannum lineum, tintinnabula, parvaque ſpecula, ac veſtes aliquas laneas: ſed illi quid cum his rebus facerent, prorſus ignorabant, quare reiecerunt. Propinabatur & vinum, & panis biſcoctus, quæ guſtaverunt: ſed veſpera ingruente noſtri ad naves redierunt. Ego equidem ſcopulum, qui in Sinus ſacco erat, adnavigavi, vbi innumeri Phocæ, aveſque (quas nos Pinguinos nominavimus) erant; in tanta quantitate, vt ſcopulum fere cooperirent. Conſcenſo autem ſcopulo nec vituli marini, nec aves, ſe movebant (eo quod pauci aut nulli homines ibi aſcendebant) donec magnam avium copiam occidimus, quibus cutis adeo dura fuit, vt vix machæra in partes diſſcindi poſſent, excepto in capite. Scapham implevimus avibus, quas ad naves redientes totæ claſſi impertiti ſumus. Hic ſcopulus ex his avibus, Vituliſque marinis mirum in modum fœtebat.

Aliquos in terram miſimus ad explorãdum.

Vituli marini innumerabiles & aves.

Die 6. Auguſti, tribus celocibus terram adnavigavimus: quo miſſus eram vt terram luſtrarem: regio profecto amœna, ſylvis odoriferis & floribus ornata. Nos vero miliare dimidium terrã ingreſſi; in monte exiſtentes, apparuimus ijs qui in Celocibus remanſerũt. Diverſa hominum veſtigia vidimus, Oves, Canes & Perdices: paulo

Quid nobis terram luſtrantibus evenerit.

vlterius

vlterius invenimus parva ſpecula & tintinnabula confracta, quæ pridie illis donata fuerunt; & panni linei partē Ericæ impoſitam: interim incolarum aliqui ſcapham acceſſerant, quo & nos remeavimus: at illi, quibus compendioſæ ſylvarum ſemitæ cognitæ erant, mox nobis aderant, antequam perciperemus, qui & mox receſſerunt. Indicavimus ſignis, prout melius potuimus, vt nobis Oves & Boves adducerent, ferro (quod *Cori* vocant) commutandos; quod ſe facturos promiſerunt. Hoc ipſo tempore pomeridiano, alios 20. viros in terram miſimus, vt cum incolis euntes, viderent an aliquas domos reperire poſſent, ſed fruſtra. Incolæ enim cum noſtris per invia gradientes, ſi noſtri incedebant; ſic & illi: noſtris quieſcētibus, illi calcaneo inſidebant: quare nocte ſuperueniente; noſtri, & nos cum illis, ad naves regreſſi ſumus.

Ovium cū ferro commutatio.

Die 7. Auguſti tribus Celocibus matutino tempore in terram iterum deſcendimus, ea quidem intentione, vt ipſos in villa, aut habitationis loco inviſeremus; eoque perreximus 23. viri animoſi. Poſt medium horæ, nobis obviam facti ſunt incolæ cum ſex Ovibus, quas ferro 30. librarum fere commutatunt, parumque argenti: qui cum ferrum findere nequirēt, contentio inter ipſos orta eſt: moxque fumum fecerunt, ſignum quippe, quo ſocijs aliquid ſignificare volebant: quare ignem extinximus. Tunc illi cum duabus ovibus fugierunt, & nos reliquis quatuor ad Celoces remeavimus. Illi vero nos iterum ſequebantur, acclamantes quod plures adducerent oves; qui ſub veſperam ad nos redientes, pacem rurſus fecerunt: nos vero vinum Hiſpanicum ipſis propinauimus, ea conditione, vt die ſequenti plures adducerent oves; nos econtra ferrum adferremus. Dolia noſtra aqua dulci replevimus, quæ ad latus Occiduum deſcendendo, reperitur. Inter foſſuras indicium aliquod erat, quod olim certa quædam natio eodem in loco ſe refecerat: nam non longe ad Auſtrum ab aquarum loco, propugnaculum ex lapidibus conſtructum invenimus; In quo, vt conſpicere licuit, olim aliqui ſe fortificarunt. Sequenti die iterum terram repetentes ad hauriendum aquam, aliquot Oſtrea, Margaritas continentia, piſcati ſumus. Decerpſimus quoque aliquas herbas odoriferas, quarum ibi eſt copia: ſed a vigilibus accepimus, quod incolæ oves adducerent, ferro commutandas, quod factum fuit: & accepta promiſſione, ſe plures oves ſequenti die adducturos, ad naves regreſſi ſumus.

Diverſa cōmercia cum Promontarianis.

Die 9. Auguſti, Incolæ in litore nos expectabant, indicantes quod oves & boves adduxerant: & ipſomet die falcem arboream vilem, egregio bove commutauimus; & Victoris malleo veteri bovem permutarūt: ſed pro novo duos boves exigentes, tantummodo vnum egregium obtulerunt. Tunc receſſimus, in alterum diem redituri: dieque ſubſequente ſummo mane in terram deſcendimus, ubi & Incolæ præſentes aderant, parati noſtras videre merces, quas in ſacco attulimus: quibus viſis, quilibet ſocium prævenire voluit: accepimuſque pro vecti ferreo 70. librarum, in partes quinque diviſo, duos egregios Boves, & tres Oves: pro cultro falcato, ſecuri, aut Battillo, aut vecti ferreo curto, cum cultro & ferri fragmentis; quæ apud noſtros quatuor florenis emi poterant, accepimus Boues tres, & Oves quinque. Quod ſi plus ferri habuiſſemus, plures obtinuiſſemus Oves & Boves. Nam copiam magnam Boum & Ovium, in altioribus terræ locis paſcentem vidimus: nos vero illis ſignis indicavimus, ſequente die redituros.

Incolarum forma, & mores.

Incolæ, homines ſunt ſtatura paulo breviores, quā noſtrates: colore rufo ſubobſcuro, alter tamē altero fuſcior. Incedunt nudi, gerentes pellem Bovinam, amiculi modo rotundam factam, & pilis corpus tangentem: medioque corpore cincti ſunt cingulo lato ex eadem pelle, cuius extremitas altera pudenda tegit. Eorum aliqui calceorū loco, aſſerculos ſub pedis planta gerunt. Ipſorū ornatus ſunt armillæ ex ebore, aut ære rubro: conchæ politæ: & aliquos annulos aureos in digitis habent: habent quoque orbiculos precarios oſſeos aut ligneos, variaque ſtigmata in corpore candente ferro preſſa. Semper peſſime olebāt, quia adipe & axungia ſe ſemper vngunt. Nullas ipſorum ædes unquam videre contigit, multoque minus mulieres vllas. Ignem ſæpiſſime ſub dumis ſtruentes vidimus, quem confrictione mutua duorum lignorum ingenioſe eliciunt & accēdunt, noctem ibi conſumentes; quos ignes ſingulis noctibus, multis in locis conſpeximus. Cum autem Boves aliquos mactauimus, inteſtina petebant, quæ cruda ederāt, præcipuis ſtercoribus eiectis: aut in pellis parte quatuor paxillis confixa, ſubdito igne, inteſtina parumper calefecerunt, eodem fere modo quo laridum cum Olere coquitur. Nihil præterea de illorū moribus diſcere conceſſum erat, quam quod impedita loquuntur lingua, ſicuti apud germanos Alpium Iuliarum accolæ, qui ex aquæ nivalis aſperitate, ex quibus fontes ſalientes ortum trahūt, ſtrumoſi fiunt. Gerebant quoque collo ſuſpenſas carnis particulas exiccatas, & Oſſicula.

Quadrupedia & volatilia huius regionis.

Animalia quadrupedia quæ hic percepimus; ſunt Boves egregij, ſimiles Hiſpanis. Oues adeo magnæ, pulcræ & ſapidiſſimæ ſunt; vt ſimiles nunquam viderim: quarum aliquæ cauda maxima ſunt præditæ: non ſunt tamen lanigeræ, ſed pilis Caprinis veſtitæ. Habuerunt & Canes.

Ipſorum volatilia erant Perdices, Coturnices, Alaudæ, Falcones varij, & Paſſerum copia.

In hoc Sinu, magnorum piſcium eſt copia, qui noctu ad naves noſtras colludebant. Alij non reperiuntur ibi piſces, quia a Phocis devorantur.

Delineatio, formaque Incolarum Promontorij Bonæ Spei qui Saphres dicuntur: homines ſunt animoſi, ſed contemtibiles, tecti pellibus Bovillis, & Ovinis, amiculi forma factis. Arma ipſorum ſunt mediocres ſariſſa, quarum nonnulla ſunt præpilata, aliquæ puræ: ſed frequentius cuſpides habent igne induratas. Pudenda tegunt cauda Ovina, cingulo accincta. Animalia cornigera, ſunt vt Hiſpanica, membris optime diſpoſita. Oves permagnæ ſunt & pulcra, non tamen lanigera, ſed vitulinos pilos producentes: ſunt ſapidiſſimæ, quia optimis herbis odoriferis paſcuntur. Pinguitis & Phoca, Hyberno tempore hic abundant: æſtate vero in mari victum quæritant. Quæ cuncta, hic cernis ad vivum delineata.



Quomodo Sinum S. Blaſij, vulgo Agua de S. Bras enavigarunt: quidque illis inter hunc Sinum & Inſulam Madagaſcar, ſive D. Laurentij acciderit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

CAP. 3.

DIe 11. Auguſti, & ſi Armenta & greges paſcere conſpeximus in altioribus terræ partibus; tamen & querelas claſſiariorũ, qui plurimum debilitati erant, ex diurno labore, aquas hauriendi; quorũ cũ multi ſemper madidi ob aſpera litora, & refectiones humores ad pedes pellentes, recidivam paſſi eſſent: atque ex Auſtro nos minaretur tẽpeſtas valida, a qua tuti nõ iacebamus: deliberatũ fuit ſub veſperã vela dare; quod & factum fuit: & vento inſtabili, diuerſis cum tempeſtatibus, per quas mutuum conſpectum aliquando amiſimus, ad Cæciam navigavimus, uſque in diem ſecundum Septembris: quo die concluſum fuit; ob debilitatẽ omnium noſtrorum, quorum permulti ex Scorbuto decumbebant, adnavigare Inſulam Madagaſcar ſive D. Laurentij, ſicuti curſum noſtrum ad Aquilonem perſequentes, ſubſequenti die in aurora, ipſam deteximus, quæ lævis & plana erat regio, excepto Promontorio S. Romani, quod montoſum & collibus præditum erat, multumque elevatum atque duplicatũ. Die ſequenti bolide tentavimus fundum moere arenoſum, in gurgite 20. Orgyiarũ, miliare a litore diſtantes: ſed a meridie bolide demiſſa, miliarijs quinque a litore, tentavimus in gurgite 52. Orgyiarum, fundum arenoſum conchis permixtũ: ſicque tum declinantes, tum adnavigantes, vt Promontorij angulũ ſuperare velitando poſſemus, conſiderantes nos nihil proficere, ob validiſſimũ repugnantem fluctũ, & ventos Notapelio- (Apparẽtia Inſulæ S. Laurent. & Promontorij, S. Romani.)

ticos, die ſexto Septemb. veli ſinum deduximus, & verſus angulum Occidentalem navigavimus, portũ aliquem quærentes, in quo naves ſalvari poſſent, & refocillantia adipiſci Et ideo navis *Amſtelrodamum* dicta, ſcapham eduxit, qua 6. viri terrã petentes, verſus Promontorium *S. Mariæ*, profundum tentarunt bolide 24. Orgyiarum, in fundo arenoſo conchis permixto, ſeſquimiliari diſtantes a terra. Sed vno miliari a terra remoti, profundum erat 18. Orgyiarum, & arena groſſa. Ad iactum Muſſceti a litore, in gurgite octo orgyiarum, erat arena groſſa gilva.

Fundi & profunda Promontorij S. Mariæ.

Perceperunt in litore viros ſex, qui ſcapham adnauigantem conſpicientes, inſulæ alta petebant. Noſtri appellentes Promontorium S. Mariæ, quod eſt angulus altus & arduus, tres piſcatorum naviculas, quas *Lacca* nominant, viderunt piſcantes, quas remigando adnavigarunt; quarum duas ſunt conſequuti: ſed cum ipſos intelligere nequirent, Orbiculos precarios aliquot eis dederunt, & alias merces: illi vero viciſſim noſtris piſces aliquot præſtiterunt, ſicque ab invicem deceſſerunt. Tunc noſtri in terram deſcendentes, quinque incolas invenerunt, qui noſtros noluerunt expectare: & nihil præter aliquot Oſtrea recuperantes, ad claſſem redierunt, remigantes verſus alias naves: Vbi vnanimiter deliberatum fuit, quod die ſubſequenti cum Pinaſſa terram verſus, quanto propius fieri poſſet, navigaretur, vt ſemper Celoci poſſet auxilio eſſe, ſi opus eſſet; quod factum fuit. Curſum ergo cum Celoce dirigentes, & terram quam propius poſſent adnavigantes, aderant duæ naviculæ piſcantes iuxta duos ſcopulos, ad iactum tormenti ex ferro fuſi, a terra diſtantes: quarum alteram tribus cum viris ſumus adſequuti, & ad Pinaſſam duximus. Erant viri robuſti & optime proportionati, a quibus emimus circiter 60. Abramides petræas, certis orbiculis precariis & nummis: dedimuſque eis quod ederent & biberent, pileos rubros, aliaſque merces: quare valde læti in terram navigarunt. Reliqui in litore ſtantes, cum viderent abducere ſocios, plurimum lamentabantur, magnumque fumum excitabant, quod & ubique fecerant, ad Oras nos percipientes.

Navicula tribus cum viris ad Pinaſſam deducta.

Die 12. Septembris, conceſſum mihi fuit ſi aphis Pinaſſam appellere; deinde terram propius accedẽs ſecundum litora navigare: ſed eodem die nihil aliud actum fuit. Regio erat tumulis pluribus arenoſis circundata. Die ſubſequente ſcapha navigavimus retro certos ſcopulos, ubi ſinus erat. Scopuli extenderunt ſe ſemi miliare in mare, & ad Borrholybicum iſtorum parva erat inſula, diſtans fere miliare a terra. reliquæ naves nos ſequebantur, iterumque appulimus nauem Mauritium, ad habendum nouum mandatum: ubi deliberatum fuit, quod ego una cum duobus alijs terram peterem, ubi iunctim poſt ſcopulos in terrã deſcendimus, in loco a brevijs magis libero. In terram deſcenſi, tam diu progreſſi ſumus, donec ad aquã pervenimus, quam tranſire non potuimus, ideoque reverſi ſumus. Veſtigia multa virorum & puerorum vidimus, ſed nullas ædiculas: focos tamen multos ubi ignes ſtruxiſſent invenimus, adque naves remeando, animadvertimus fauces, per quas ad interiores aquas ſcapha navigari poterat, quod tunc factum non fuit. Die ſequenti retro inſulam navigavimus, eo quod ex alia nauium ſtatione nos tempeſtas valida migrare coegit, ibique anchoram commiſimus fundo, in gurgite 9. Orgyiarũ. In hac inſula neminem inveninimus, nec aquas dulces, nec fructus, nec armenta, nec greges, nec aves ullas, niſi Ardeas aliquas. Altero vero die, Celoce & Pinaſſa ad occidentem navigavimus: ſed ob brevia, rupes, & vada nuſquam penetrare conceſſum erat; & cum egrediendum erat, per eaſdem fauces quas intravimus, egredi neceſſe erat: quare in alterum diem; nempe 16. huius menſis Pinaſſæ adfuimus. Plures incolas vidimus, ſed ipſos accedere, ob brevia, negatum fuit. Matutino tempore, ad Orientem navigavimus, & iterum retro rupes aut ſcopulos in terrã, ubi primo, deſcendimus; inde verſus ſylvã progreſſi ſumus; ubi magnus aſcẽdi: fumus, ſperantes nos ibidẽ numerum aliquem incolarum reperturos: ſed appropinquãtes, viros duos vidimus retia gerentes. Nos verſus fumũ euntes vetulam cũ iuvencula invenimus, Ericetũ comburentes: quas cũ intelligere nequivimus, ad viros, quos vidimus, nos miſerunt: quare orbiculis aliquibus precarijs mulierib. datis, viros ſequuti ſumus, eoſque vocantes conſtiterunt paulũ nos expectantes: qui tandem depoſitis retibus fugientes, ſylvam quandam ſunt ingreſſi; noſque illorum ſequentes veſtigia, ad aquam pervenimus, ubi virum cum tribus pueris piſcantem reperimus ad alteram ripæ partem. Hic vnum ex pueris miſit vt alios vocaret, qui mox cum ſene redierat. Tentavimus ipſorum lembo quam ibi invenimus, hanc aquam tranſnavigare, ſed ſimilis navigationis inexperti lembus euerſus eſt, & nos enatando ſolvati ſuimus. Illi vero videntes nos eos non poſſe accedere, vt nudi incedunt, ad nos venerunt, gerentes in manibus tria iacula: quibus donavimus aliquas teſſerulas precarias. At nos illos non intelligentes, ſicut nec ipſi nos, reverſi ſumus æque indocti ad Celocem; & cum iam ſero eſſet, ad claſſem remeavimus, naveſque invenimus ob validam obortam tempeſtatem, duobus anchoris firmatas; Naviſque Amſtelrodami funem anchorarium ruptum: quare non firma manens, anchoram ſacram, & quotidianam eijcere coacta fuit; ſicque ſalva remanſit. Et nobis ob tempeſtatem, vix navium aliquam conſequi licuit.

Terræ luſtratio.

Nullus populus, nulla armento, nulli fructus, nulla volatilia.

Alia terræ exploratio.

Similis navigationis inexperti, lenibus euerſus fuit.

Deſcriptio

Deſcriptio inſulæ magnæ Madagaſcar, ſive S. Laurentij, ſicut a nobis eſt circumnavigata: eius tractus, vna cum brevijs, pulvinis, ſcopulis, profundis, & adiacentibus inſulis. Item cœmiterij Battavorũ delineatio, & fluminis aquæ dulcis, ſive Portus S. Auguſtini, ſinus magni, & inſulæ S. Mariæ, ſingula literis Alphabeti ſignata, ad ſtudioſorum inſtructionem. A. *Locus ubi primo ancoras demiſimus, & manſimus.* B. *Inſula, Battavorum cœmiterium dicta.* C. *Sinus aquæ dulcis.* D. *Flumen dulce.* E. *Propugnaculum.* F. *Angulus Borealis.* G. *Inſulæ parvæ Auſtrales.* H. *Inſula S. Maria.* I. *Sinus in eadem.* K. *Villa primaria.* L. *Primus ramus fluvij inſulæ Madagaſcar.* M. *Alter ramus eiuſdem fluvij.* N. *Interfluvium Inſulæ S. Mariæ.* O. *Scopulus Occiduus eiuſdem Inſulæ.* P. *Inſula ſinus magni, ubi aquam recentem accepimus.* Q. *Fluvius.* R. *Villa S. Angeli.* S. *Villa Spachenburg.* T. *Villa Borealior.* V. *Villa ubi primo ad ancoram eramus.* X. *Villa in qua negotiati ſumus.* Y. *Villa ſexta.* Z. *Locus ubi rogabant, vt enavigantes appelleremus.*



Quid præterea ſub cœmiterio Battavorum accidit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAP. 4.

DIe 17. Septembris iterum ſcapha ad inſulam miſſa, viri tres ab vna parte, duoque ab altera in inſulam progreſſi ſunt: at hi ſolummodo virum & feminam invenerunt: quare ſub veſperã ad ſcapham reverſi ſunt. Reliqui vero tres, ne deviarẽt, pyxidula nauticã ſylvam ingreſſi ſunt, in qua iter fecerũt circum ſinũ magnum aquæ ſalſæ, in veſperã fere; quibus tunc obviam venit vir Iunior niger, qui ad virũ ſenẽ, qui eius pater videbatur, ipſos duxit. Hic illis Cancros aliquos ad edendũ, & aquam ad bibendum dedit. Noſtris vero, qui vlterius deduci petierunt, ad inveniendum aquam dulcem, innuebant ſe velle ſomnum capere. Tunc noſtri pileum album & rubeum illis donarunt, quare voluntarij fuerunt ad noſtros latius deducendos. Cum iam paulo progreſſi eſſent, Luna lucente, ſenex receſſit: qui mox reverſus, & ignem ſtruens, humi ad quieſcendum ſederunt. Sed cum vno & eodem loco diu hærere metuebant, iterum progreſſi ſunt: tunc Iunior receſſit, & mox cum ſex alijs redijt: qui cum ſæpius conſultarent, noſtris fuerunt ſuſpecti: cumque aliquos orbiculos precarios, quos petierant a noſtris dono accepiſſent, duos ex noſtris arripuerunt; ſed tertius evadens, duos alios e manibus eorum liberavit. Tum pugna inter ipſos petris inchoata eſt, noſtrique tandem laſſati, ipſis ſe dederunt, veſtibus que & armis

Tres viri terram luſtrantes, veſtibus & armis ſpoliantur.

 ſpoliati

ſpoliati fuerunt. Tunc noſtri iter perſequuti ſunt, circum dictum ſinum aquæ interioris, in ſequentem veſperam;& in noctis exordio ad ripam alteram venientes, ſcapha illuc navigavit: ſicque omnino laſſi, a Sole aduſti, & exanimes fere, ad claſſem redierunt.

Delineatio ad vivum Incolarum Madagaſcar, ſive Inſulæ S. Laurentij, ſitæ ſub Poli Antarctici altitudine 23. graduum, in Portu S. Auguſtini, qui nobis flumen dulce dictum, una cum ipſorum uxoribus, veſtibus, armis, domicilijs, piſcatione, armentis, gregibus, avibus, venatione, fructibus & herbis in ea creſcentibus, quantum intelligere licuit. Omnes carent religione, nullas habent leges, niſi a natura inditas. Neſciunt diem a die diſtinguere, nec diebus, ſeptimanis, menſibus & annis ætatem numerare. Bella cum vicinis gerunt, ſe mutuo capiunt, vendunt, aut redimunt Ovibus aut Bobus, aut Iaculis, quæ Leſſo *vocitant: quæ adeo recte dirigunt, vt in denarium ſextes, tali impingent vi, vt nihil reſiſtat; immo illud quod ſclopo penetrari non poteſt: norunt quoque & hæc iacula avertere & ab ijs ſe defendere.*

A. *Aves ſunt magnitudine Ciconiæ, roſtra habentes curva.* B. *Hæc animalia ibi abundant: habent caput vulpis, & corpus & caudam Cercopitheci: celerrime currunt, & ex una in aliam ſaltant arborem.* C. *Naviculæ ſunt ex trunco excavatæ, utrinque baculis munitæ, ne vertendo everti poſſent, & ſic piſcantur.* D. *Tuguriola, quæ nulla rei conveniunt, quam ad Solem vitandum: ſunt que adeo humilia, vt rependo intrari debent: in arena dormiunt.* E. *Oves quæ caudam adeo magnam gerunt, vt unum ex quatuor quartis pondere ſuperet. Boves, gibbos, & magna cornua gerunt: optimam quoque carnem habent.* F. *Fructus hic ibi abundat, & eſu bonus.*



Exploratio- nis terræ deſcriptio.

Die 20. Septembris, rurſus terram verſus navigatum fuit: perque fauces aquam interiorem intravimus, ad quā ingens erat pulvinus. Ingreſſi, ad dextram attegias vidimus a piſcatoribus habitatas. Invenimus ibi tantummodo viros duos, & feminas quatuor, qui locum aquæ dulcis nobis monſtrarunt, quæ nobis deficiebat: nam vir gerens ſitularum loco duas arborum cortices, ad hauriendum, id fecit: cum quo quatuor viros miſimus, qui alium locū habitatū intraverunt, ubi mulieres ſolummodo invenerunt. Nos hanc aquā ſalſam guſtantes, nullam nobiſcum portavimus: ſed ſcapham, vulgo *Almadia* dictam, remigando adſequuti ſumus, ubi Corallos aliquos piſcibus commutavimus: tunc aliam remigando perſecuti ſumus, quam ob vada conſequi negatum fuit. Vidimus tres Aethiopum turmas ſylvam egredi, inter quos & Dynaſta erat, quem *Andrea* vocant; qui nobis oſtendit vt locum adnavigaremus vadoſum, qui maris receſſu omnino ſiccus erat: nos vero ſuſpicantes, quod noctu nos eo in loco, cum ſuis opprimere vellet, ſub veſperam aquam profundam elegimus, ubi binæ nos appulerunt

ſcaphæ

ſcaphæ, ſive *Almadia*, adferentes nobis Cancros in cibum; illoſque viciſſim participes fecimus noſtri edulij; qui concentu harmonico canebant. Nos quidem illis non fidentes, & ſuſpicantes exploratores eſſe, præcepimus vt abirent; & diligenter vigilavimus, ne nos opprimerent. Nocte tranſacta ſinum pernavigavimus, qui nullam aquam dulcem invenientes, eo vnde veneramus reverſi ſumus. Tunc incolæ vndecim ſcaphis nos acceſſerunt, rogantes vt vna cum illis ad eorum domos aut habitationis locum navigaremus, vt nobiſcum negotiarentur: quod fecimus. Illi vero nos hortantes in terram deſcendere, recuſavimus; memores eius quod noſtris ſocijs die præcedente fecerunt, & præſertim eo quod multos inter arbores occultatos conſpeximus: Immo nec Dynaſta, niſi in fine, nos accedere magna in navi; quam *Canoa* vocant, audebat: qui a reliquis Mauris, omnes fere eorum piſces accipiens; eoſdem teſſerulis præcarijs commutavit. Indutus erat panno Goſſypino ſtriato ad genua vſque; culcitræ aut lodicis Hiſpanici modo: Et nos cum nacti eſſemus multos piſces, ad ſinus fauces navigavimus, vt nos ibi aliquantum reficeremus. Illi vero cum nos navigando illis celeriores conſpicerent, terram repetiverunt, vbi Inſidias poſuerant. Nos autem in terram deſcenſi, excubias fecimus, ne ab improviſo opprimeremur. Præterea viros quinque ordinavimus ad luſtrandum regionem: ſed angulum quendam ſuperantes, inſidas 50. Maurorum fere intrarunt, qui Ipſos mox circumdederunt, & vndique iaculis aggreſſi ſunt: quare coacti ſe defendere, tres ſclopos exonerantes, Mauri caput perfoderunt, qui mox exſpiravit. Qua de re incolæ plurimum perterriti, ſecundam eiaculationem expectare non audentes, fugerunt. Nos vero ad noſtros reverſi ſumus, vt ex ijs quæ coxerant nos reficeremus, lætantes quod ſine damno, Maurorum intentionem percepimus. Regio eſt arida, ſylvis abundans, in qua nullam aquam dulcem recuperare datum fuit, eaque de cauſa ad ſocias naves remeavimus.

Nocta nos inviſerunt, & quid nos ſuſpicabamur.

Dynaſtæ veſtimentū.

In terram deſcenſi excubias ordinavimus.

Inſidiæ à Mauris poſitæ: ſed a noſtris fugati Mauri.

Quid Pinaſſæ inter navigandum evenerit: de Fluminis aquæ recentis inventione: & quid interim claſſi acciderit.

CAP. 5.

Die 21. Septembris ad claſſem reverſi, ſine aliqua aqua dulci: noſtraq; aqua quotidie decreſcens: deliberatū fuit, quod Pinaſſa & Celoce, viris optime munitis, ad Circium navigaretur; ad tentandū num aqua dulcis, aut fluvius reperiri poſſet, ad providendū nobis de aqua dulci: qua intentione, die 22. ſummo mane, oſtiū enavigantes per quod ingreſſi eramus, in mari curſum direximus ad Circium: 3. die duas parvas appulimus inſulas aridas, ubi nihil invenimus, niſi quod piſcatores aliqui noctu ibi ſe cōtinuerunt. Ad Eurum earundem erat ſinus magnus aquæ ſalſæ, & ad Cæciam Sinus, Sinus S. Auguſtini dictus, ſub altitudine Poli Antarctici 23. graduum cum ſemiſſe, & exacte ſub Tropico Capricorni, ubi egregius fluuius inventus fuit, duobus alveis inter terram alıam in mare ſe exonerans, quem Celoce intronavigavimus. Incolæ libere acceſſerunt, admirantes plurimum homines albos ſe in illis partibus videre, multoque magis quod Pinaſſam ſine remis navigare conſpexerant. Commercia cum illis tractavimus, commutantes aliquibus Ovibus perpulcris & craſſis, certas merces: ut ſunt ſpecula parva, Pilei rubei, Orbiculi precarij, &c. Inter alios erat qui Cochlear ſtanneum mōſtrabat, quod mox ambierunt, commutavitque illud totius armēti meliori bove: qui cum effugeret, mox alij ſuos boves pro eodem offerebant: quare contentio inter ipſos orta eſt, & verba in verbera mutaſſent, niſi priori cochlear fuiſſet promiſſū, qui ſua iacula & virum vnū pignoravit, donec Bovem reduceret: quo adducto, & alia Cochlearia oſtendens, deſiderabant plurimum Boves cochlearibus commutare. Noſtri regionem hanc viderunt amænam, viridantibus vallibus decoratam: vbi & plura egregia avium genera invenerunt, quæ ſuaviſſimo cantu aures demulcebant: ubi & in Tamarindorum ramis, qui maxima copia ibidem abundant, Cercopithecos plurimos conſpexerunt: cuius arboris fructus, hepar & renes egregie refrigerant, omnemque ſtomachi viſcoſitatem conſumunt: Quare & Scorbuto plurimum conferunt, quo noſtri adeo laborabant, vt cum ſanis & claudis vix vela attollere poterant. Quare conſiderantes, quod noſtri non ſolum magno nos deſiderio expectabant, ſed quod neceſſitas vrgebat ne diutius ibi hæreremus, & illos hac bona fortuna recrearemus; animumque adderemus ad inceptum iter noſtrum perficiendum; & ſanitatem, de qua plures dubitabant, recuperandum; cum vix in tota claſſe viginti eſſent ſani in pedes conſtantes, quorum plures adhuc debiles erant; die primo Octobris claſſem appulimus. Interim quod Pinaſſa & Celox aberant, duo inſolentes nebulones, ob eorum inſolentiam & inobedientiam, in terram, judicum ſententia, poſiti fuerunt, vt viderēt ſi aquam recentem, & Poma aurea, ſpatio quinque dierum recuperare poſſent: quod ſi fecerint, eaque quæ dicta ſunt ſecum detulerint, in gratiam iterum reciperentur; ſin autem, Indicis arbitrio ſtarent.

Quo curſu inſtituerunt aquæ dulcis inveniendi gratia.

Poli altitudo Sinus S. Auguſtini.

Cochlear ſtanneum egregio bove commutatur.

Infirmitatis noſtrorum deſcriptio.

Sentētia re legationis in duos inſolentes.

Die 30. Septembris, obijt *Ioannes Dignums*, navis Amſtelrodami nauclerus, qui ſepultus fuit in inſula, Batavorum Cœmiterium dicta: eo nomine quod multos ex noſtris ibi ſepelivimus, quod ingēti cor noſtrum dolore afficit. Cumque quotidie magis incrudeſceret aura, eaque de cauſa terram adnavigare non licuit, iam ſerenior facta, in terram deſcendimus. Die 29. cum videremus, an percipere poſſemus duos dictos in terram relegatos, & an aquam dulcem recuperare poſſemus, quæ nobis deficiebat; nullos percepimus Mauros, ſed fumum aſcendentem. Inſtante veſpera anchoram ſolvimus, ubi pernoctavimus, & in aurora in terram deſcendimus, ad piſcandum. Tandem in ipſo diſceſſu, nos acceſſerunt vndecim Mauri, inter quos & Dynaſta erat, qui his diebus elapſis, nos

Obitus Ioannis Dignums.

Reconciliatio cum Mauris.

voluit opprimere: ad quem 5. ex noſtris euntes, concordiam inierunt, qui noſtris donabat iacula quinque, & pannum ſuum Goſſypinum: nos viciſſim illi donavimus parva ſpecula, & orbiculos precarios, ea tamen conditione, vt nobis ſubſequenti die aliquæ refocillationes adferrētur, quod factum fuit a ſuis, qui piſces cochlearibus ſtanneis commutaverunt. Vinum ipſis propinavimus Hiſpanicum, quo inebriati fuerunt: deliberavimus eos ebrios captivos ad naves deducere, vt per alicuius eorum commutationem, refocillationes aliquas obtinere poſſemus: ſed Pinaſſam cum ſuis apluſtris redeuntem conſpicientes, non conſultum duximus cum illis inimicitias habere: quare cum parati eramus, claſſem appulimus, ubi Pinaſſæ felicem itineris ſucceſſum accepimus. AEgri noſtri, quos, vt a fætore naves liberari, & purgari poſſent, in cœmiterio Battavorum poſuimus, Cancros, piſces, atque Turbones ceperunt, quibus ſe exhilarabant, & certā herbam coquendo reſocillabant: ac quotidie deambulando ſe exercentes, robuſtiores facti ſunt: qui cum intellexiſſent quas refocillationes Pinaſſa inveniſſet, quilibet paratus erat cōſcendere naves, ipſoſque ſubſequenti die curavimus adferri; ventumque ſecundum expectantes, manſimus in 7. diem Octobris: ſed interim Nauclerus electus fuit in locum *Ioannis Dignums*: vnde magna inter capita claſſis orta eſt diſſenſio, magno cum detrimento & confuſione univerſæ ſocietatis.

Magna diſſenſio orta, ex electione Naucleri in locum Ioannis Dignums.

Die 7. Octobris fauces quas intravimus, enavigati ſumus ad Eurum: aliter namque ſcopulis circundati eramus & adeo æſtuabat vbique mare, vt cuilibet timorem incuteret, quamvis longe a periculo aberamus. Vidimus & æſtuaria magna ad Libonotum, miliaria quatuor a terra diſtantes: quare ſuſpicandum eſt ibi adeſſe brevia. Deinde ad Corum curſum direximus, dieque ſequenti ad Aquilonem, ad cognoſcendum terram, quam Pinaſſa appulit: quo pervenimus die 9. Octobris ſub veſperam, & in gurgite idoneo, fundoque argilloſo anchoras poſuimus.

Die 10. Octobris, Celoce flumen adnavigavimus, quo nos Incolæ, qui naves appulerant, deducebant: hi Oves aliquot nobis donantes, rogabant vt in terram deſcenderemus, dicentes Boum, & Ovium copiam apud illos eſſe. Nos in terram deſcendentes, primates honoravimus globulis aliquot ex Succino; & ſingulum Cochlear ſtanneum Bove aut tribus vel quatuor Ovibus commutavimus, totque accepimus, quot Celox capere poterat: ſed foris flante vento altano, nos ſic onuſta Celore, remis adverſo vento altum petere nequivimus: quare ad vallem amœnam, & virentem navigavimus, in qua plurimi Cercopitheci, & Pſittaci fuerunt. Hic nobis auxilio fuerunt duæ ſcaphæ, quæ partem oneris ſublevarunt, ſicque ſub veſperam claſſem appulimus. Die ſequente plurimi Mauri iterum claſſem appulerunt, adferentes Oves quas comparavimus: & tres ex primarijs noſtris in terram miſſi fuerunt, ad explorandum locum idoneum, ubi ægroti noſtri, in terram deſcendentes, recreari poſſent: quo invento, die 12. Octobris infirmos noſtros in terram deſcendimus, ubi ægri navis Hollandiæ, ab alijs ſeparati parum, poſiti fuerunt. Sequenti die, euntes verſus flumen dulce haurire aquam, duas aut tres ſcloppi eiaculationes audivimus, & in litore multitudinem Maurorum currentem vidimus verſus propugnaculum maius: ſed noſtri animoſe ſe defendentes, viderentque incolæ noſtros e navibus terram adnavigare, & aliquos ex ſuis, ſcloppis tactos: fugam arripuerūt, quos noſtra Celoce perſecuti ſumus; erantque circiter *Canoæ* 25. quarum celeritate evaſerunt: qui vero in terra erant, ad montana cucurrerunt. AEgros navis Hollandiæ ſpoliaverunt, & aliquos ipſorum, veſtimentis privarunt, id cum alijs vtcumque facere, per fortem noſtrorum reſiſtentiam, coacti fuerant fugam arripere. Tunc omnium noſtrorum auxilio, propugnaculum arboribus cinctum fuit, tormentis & viris robuſtis munitum, adverſus ſimilem, aut maiorem incolarum inſultum. Incolæ vero, non obſtante hac diſſenſione, libero animo naves appulerunt, oveſque venales attulerunt: inter quos nonnullos vidimus, qui glandularum ſanguinea ſtigmata in corpore gerebant. Simili modo & nos in fluvio comparavimus boves, ab ijs qui ex ſpolijs in collo gerebant, ac ſi ipſi non fuiſſent, cum quibus nobis diſſenſio aut quæſtio erat.

Bos aut 3. vel 4. Oves cochleari ſtanneo cōmutantur.

Ægri in terram delati vt ſe recrearent.

Mauri propugnaculū Maius oppugnantes in fugam acti ſunt.

Die 22. Octobris, cum multi Sylveſtres viſi eſſent concurrere, ſuſpicabamur quod propugnaculum noſtrum expugnare decreverant: quare ſub noctem, noſtris in ſubſidium miſimus, duas ſcaphas noſtrorum: quarum altera vento valido in proram Pinaſſæ pulſa, everſa fuit: quod audientes qui in Pinaſſa erant, terrefacti; parati erant in ipſos tormenta exonerare, cogitantes fuiſſe incolas, qui Pinaſſam ſuis ſcaphis, quas *Laccas* vocitant, opprimere decreverant: nihilominus omnes, amiſſis armis, ſalvati fuerunt. Alij cum in navi Mauritio tormentum exoneratum eſſet, in ſignum, quod eius Celox terram adnavigabat; idem fecerunt ex navi Hollandia: & celoce appellente, illos qui in propugnaculo erant, invenerunt perterritos in litore: qui ignorantes, quid eiaculationes nocturnæ ſignificarent, nemini deſcenſum in terram admittebant: immo ſclopos aliquot ſupra ſcapham eiaculantes, præceperunt vt diſcederent, quare nihil aliud exequentes ad navem remearunt. Simili modo inſulam hunc audientes rumorem, æque perterriti fuerunt; effecitque, vt quam forte conceperint deliberationem, auſi non fuerunt exequi.

Suſpitio de Mauris mala.

Alterius ſcaphæ everſio.

Quomodo incolas aliquos apprehenderunt & quid præterea actum ſit.

CAP. 6.

Venatio diverſarum avium, quas comederāt.

DIe 26. Octobris ſummo mane, nonnulli ex propugnaculo venatum iverunt, quod & ſingulis diebus fecerunt: alij ſclopis, alij laqueis Cercopithecos, gallinas numidicas, Pſittacos & alias innumeras aves capientes; quæ ſuo ſuaviſſimo cantu & plumis egregijs deſertum exornabant: quibus ſocij noſtri genio indulgebant.

dulgebant. Hi quoque nonnulla tuguria accedebant, in quibus nonnulli piſcatores Mauri & alij habitabant; qui noſtros percipientes, omnes fugierunt, vno excepto, qui aſſidens inſtrumento textorio, pannum Goſſypinum texebat: quem ad propugnaculum captivum duxerunt. Paulo poſt 7. *Canoæ* propugnaculum acceſſerunt, habentes piſces aliquos venales: apud quos noſtri plura viderunt, quæ ab incolis in ſpoliatione propugnaculi minoris direpta erant. Cumque illis conceſſum eſſet eadẽ vi auferre, vellentque incolæ id impedire, vnus ex Mauris ſcloppo occubuit alij ſaucij fuerunt; & vir unus, duæ mulieres, & quatuor pueri in quatuor *Canois* capti fuerunt. Nos vero ex claſſe conſpicientes, quod noſtri cum incolis pugnaſſent; tres *Canoas* fugientes, perſecuti ſumus: qui percipientes nos remigando ipſos vincere, litus adnavigabant, & in ſylvam ſe abdiderunt: vna tamen *Canoa* evaſit. Ambas mulieres, cum duobus minoribus pueris liberavimus: duos vero viros, cum ambobus reliquis pueris ad naves deduximus: & die 30. Octobris cum virorum altero flumen ingreſſi ſumus, exploraturi an Bove aliquo, ipſum liberare vellent, qualem præcedentibus diebus oſtenderunt. Incolæ eo venientes, eius manus exoſculabantur, non metuentes periculum, quod a noſtris appræhendi poſſent; cumque redimerunt bove & duabus ovibus: captivo iam relaxato & libero; bovem & Oves perſolvimus, & vna cum recenti aqua ad naves conduximus. Noctu alter captivus vnica manica ſerrea ligatus, puerique liberi a compedibus exiſtentes, per columbaria tacite in mare deſcenderunt, & verſus terram natarunt; ſed vir manica nimium impeditus, ſubmerſus eſt. Pueri id conſpicientes, ad ſcapham Pinaſſæ natant; qua ſoluta, verſus terram remigaverunt: ſed cum remos trahere ignorarent, terram appellere nequibant, & a fluminis fluctu in mare pellebantur, quos mane nos invenientes, ad claſſem reduximus, ſed noctu ſemper includebantur, quamdiu illic manſimus. Sequente die cum eorum altero flumen ingreſſi, tentavimus num bove aliquo redimere vellent: ſed ſylveſtres, ne cum ove quidem liberare voluerunt: qui puellam his præcedentibus diebus cochleari ſtanneo permutare offerebant.

Maurorum cum tribus Canoes fuga.

Mauri captivi aufugiunt.

Plures curſus ſecimus verſus angulum Borealem, & vlterius, ubi boves ac Oves obtinuimus, piſces & Tamarindos; quorũ omnium prouiſionem fecimus. A flumine ad angulum Borealem erãt pulvini aut ſcopuli aliquot, adeo vadoſi, vt aquæ defluxu miliarijs tribus in mare apparerent ſicci: vbi tunc incolæ capiebant piſcium copiam, quos in fundo haſtis perfodierunt, & ſiccabant; qui ipſorum præcipuus eſt cibus: vbi & plurimæ ſunt Oſtreorum conchæ, ex quibus multa egregia faciunt, quibus ſe exornant. Hic merces noſtras reviſimus, quarum ſarcinæ cum non eſſent picatæ, & navis tabulata Solis calore fiſſa; ab aqua defluxa aut deguttata, damni non modicum acceperunt. Nos vero qui quotidie flumen navigavimus, & ad angulum Borealem aſcendimus, Oves & Boves comparavimus, ad ægrorum ſuſtentationem. Cumque a Collegio decretum eſſet, vt cum Pinaſſa exploraretur, an in his Oris maritimis nullum eſſet Emporium, aut portus alij (nam difficulter iam Oves aut Boves recuperare potuimus, quod incolæ fere omnes confugerant, & qui reliqui, nobiſcum tractare recuſabant) nec non qui venti in mare flarent (nam qui circa terram flant venti poſt mediam noctem, regionales erant; & Sole Cæciam occupante altani) ego cui iri terra gubernatio commiſſa erat, vocatus; huic negocio deſtinatus fui: ſed eo tempore quo abſens fui, nihil relatu dignum a noſtris actum fuit, quam quod rei aquariæ providerunt, & refocillationes aliquas ſibi compararunt. Inter cætera, cum die 24. Novembris ſex ex noſtris venatũ irent, ſex egregias invenerunt Oues, quas ad propugnaculum duxerunt: quarum duæ caudas habebant 22. aut 23. pollices latos ſpiſſas, & ponderantes fere 11. libras Battavas: quæ & craſſæ & omnino candidæ erant. Et quamvis noſtri eodem in loco adhuc venerant, nunquam tamen ſimilem felicem ſucceſſum habuerunt.

Reviſio ſarcinarũ noſtrarum.

Oves & boves non recuperari plus poterant.

Viri ſex adducunt ſex Oves, caudas habentes 23. pollicum & 11. librarũ.

Quid Pinaſſæ exploranti acciderit.

CAP. 7.

Die 17. Novembris aliquibus mercibus proviſi, ſummo mane vela dedimus, curſumque direximus ad Borrholybicum, flante Notapeliote (qui quolibet die ibi ſpirat, donec Sol Borrholybicum occupat) ad pulvinum magnum ſuperandum, quem nobis Borealem & Ypaquilonarem reliquimus: ipſoque ſuperato, ad Circiam & Boream navigavimus, flante Notolybico altano valido: quare veſperi omnia vela deduximus, excepto velo, Siparo; quod ad mali medium poſuimus. Terra adhuc alia appatuit, inque primo noctis quadrante, verſus terram direximus: nam hic terræ tractus eſt Borealis & Ypaquilonaris. Huic terræ adiacebat pulvinus, & nos mediocri vento ad Aquilonem & Boream navigavimus. Circa Borrhapelioticum Solem, angulum acceſſimus, retro quem apparuit Sinus magnus: ad Borrhapeliotem navigavimus, vt clarius perſpiceremus: appropinquantes, in litore incolas conſpeximus: quare ſcapham eduximus ad tentãdum fundum, & explorandum, an ſinum intrare liceret: Vbi in ſummo refluxu profundum trium Orgyiarum invenimus: vidimuſque *Canoam* nos præcedentem, & ſinum tranſfretantem, qui ex aqua ſalſa fuit. Vidimus in terra diverſos aſcendere fumos, quibus mutuo ſignificabant difficultatis aliquid ad Oras maritinas apparere: nihilominus nos fluvium quærentes, noluimus hic diutius tempus terere: ſed continuo ſecundum litora navigantes, & hunc angulum ſuperantes, iterum ad Boream vela dedimus, & inſulam invenimus diſtantem fere miliare vnum a terra ſemimiliare magnam. Seſquimiliare ab eadem, ſita erat alia arida inſula humillima, & ab hac

Tractus huius terræ.

Quibus ſignis ſignificant præſentia pericula.

gando, & matutino tempore aggerem verſus, vela fecimus: ſed adverſo ſpirante vento mox e conſpectu fugit, primumque Sole Borrhapeliotico terram conſpeximus, ad Eurum curſu inſtituto: quæ eadem erat, a qua his elapſis diebus receſſimus, vbi cū iam ſero eſſet anchorā commiſimus fundo arenoſo, ſub gurgite ſex orgyiarum: & ſequenti die angulo ſuperato, in Sinum, qui a longe fluvius eſſe videbatur, ſcapha noſtra navigavimus, cuius aquam ſalſam invenimus, & locum arboribus conſitum, vbi Pſittacorum magna erat copia, magnitudinis Carduelis. Tandem poſt diuturnam navigationem, cum nulli homines nobis apparerent, ad Pinaſſam reverſi ſumus: ſed in ipſo egreſſu duæ *Canoæ* obviam venerunt, in quibus quatuor viri erant; quos alloquentes, indicabant ipſos Pinaſſam appuliſſe, & refocillantia allaturos, in quem finem adoleſcentem emiſerunt, ſed latebat anguis in herba: nam redijt comitatus circiter 20. viris, quos mulieres ſequebantur: qui tripudia, ſed ſeparatim, inchoarunt, viri cum ſuis armis in vno cumulo, facientes raros ſaltus, & tantum cum pedibus rumorem, ac ſi equitum turma concurriſſet, adeo quod a pulvere, quem pedibus recalcitrando elevarunt, nemo immunis eſſet. Mulieres canebant, & manibus plaudebant, moderato greſſu tonum ſervantes: qui omnes, ob orbiculos precarios quos monſtravi, ex improviſo me obruiſſent, niſi a ſtorea ſurgens, ſuper quam ſedere iuſſerant, mox ad ſcapham redijſſem: cumque nullam adferrent refocillationem, recedere volui: quod ipſi videntes, vi ſcapham detinere conantes, in me manus iniecerunt, ſed me defendens, ſcapham in aquam detruſimus, omneſque intravimus, & ad Pinaſſam reverſi ſumus: at in itinere vidimus plures alios in eorum auxilium advenientes, quos expectaverant. Erant omnium quos vidimus in inſula Madagaſcar pauperrimi, toti nudi incedentes, niſi quod pudenda interiori arborum cortice tecta habent; ubi nec Oves, nec Boves, aut fructus aliquos percipere potuimus. Videntes igitur hoc in loco nos nihil recuperare poſſe, die ſubſequente in mane vela dedimus, curſum claſſim verſus dirigentes; & mare intravimus, ad percipiendum quales venti ibi ſpirarent, in diem 25. Novembris navigantes ad Cæciam, vento regionali terram verſus, quam cognovimus. A meridie claſſem appulimus; & veſperi deliberatum fuit, quod die ſubſequenti duabus horis ante lucem excurſionem inſtitueremus in terra ad Boves aut Oves recuperandum: quare cum ex noſtris ſedecim terram penetravimus vſque ad certos puteos, ubi Armenta & greges frequentius adaquabant: ſed nulla invenimus: quare vltra pergentes, Mauri aliqui nobis obviam facti ſunt, qui ſuis ſitulis ex interioribus corticibus factis, aquatum iverunt, quibuſcum illorum ædes acceſſimus, ſed aufugerunt. Nos vero eo pervenientes, a trecentis fere incolis circundati fuimus, qui ſuis iaculis nobis minitabantur, non obſtante quod illos conabamur ſedare, ipſis monſtrando noſtras quas habuimus merces, ad bobus & ovibus commutandum: quod planè recuſarunt, & in nos inſultum parabant: quare in ordine nos ſtatuentes, ad aggrediendum hoſtem, ab improviſo ſclopus muſſcetus exonerabatur, vnde & ex noſtris aliqui periculum ſubierunt: immo collum aliquantulum aduſtum habui: ſed incolis tantum incuſſit terrorem, ut omnes fere fugerēt, qui iterum retenti, adduxerunt boves duos & oves tres; & cochlearibus ſtanneis commutarunt: nos rogātes vt vellemus diſcedere, quorum interim mulieres, filij, & armenta fugerant. Nos Boves dereliquimus, qui nobis nō aſſuefacti, magnos mugitus ediderunt, & non potuimus eos abducere. Circa meridiem aliqui Mauri ad propugnaculum rurſus acceſſerunt, clamantes ac ſi lac attuliſſent, vt noſtros e propugnaculo allicerent. Redierunt quoque a meridie, quos duo duplicis armaturæ cum Nauclero acceſſerunt: qui cum ab incolis ducti eſſent extra ſclopi iactum, Mauri in ipſos irruentes magno clamore, cultris & ſecuribus; jaculo Nauclerum in collo ſauciarunt, & ſecuri claviculas iugulares amputaverunt; reliquoſque duos vulneratos occidiſſent, niſi arma habuiſſent: ad quem clamorem, nigrorum agmen e ſylva proſilijt, omnes præ gaudio tripudiantes, quod ſe vindicaverint. Nauclerum mortuum accepimus, quem magno dolore militari more ſepelivimus, ſperantes mortem eius vindicare: Et ideo ea intētione ſubſequenti luce viris 48. ipſorum domos acceſſimus, & in itinere 20. Boves egregios invenimus, qui ad puteos ad aquandum venerunt: ipſoſque viris octo ad propugnaculum miſimus; qui adducti, cum nos videre non eſſent aſſuefacti, aufugerunt, non obſtante quod in ipſos ſeptem ſclopi eiaculationes factæ ſint: reliqui veró ad incolarum domus progreſſi, omnes Mauros, vna cū tota ſupellectile, Bobus & ovibus, fugiſſe viderāt: quare re infecta redierunt: niſi quod vnus ex 16. Bobus, quos redeuntes ad puteos invenerunt, mactaverint; quem in partes diſſecatum ad propugnaculum detulerunt, valde laſſi; nam duo miliaria magna in terra progreſſi eramus. Sequenti die parva *Canoa* ſive lintre duo ſylveſtres prope propugnaculum venerunt: quorum alter in terram deſcendens, vt aliquos Goſſypij faſciculos inde aveheret; qui in propugnaculo erant, rumorem audientes, certos ſclopos in eum eiacularunt: quod videntes qui aquatum iverant, ſcapha verſus *Canoam* navigarunt, quam tandem conquiſiverūt, Maurus in aquis ſe defendit, ſed captus fuit: qui cum a ſaucijs agnoſceretur quod aſtitiſſet occiſioni Nicolai Ianſonij, morti adiudicatus fuit, & vt ad palum ligatus ſclopis interficeretur, quod & factum fuit. Nos vero conſiderantes quod refocillationes difficulter acquiri poſſent, & ægri magis accommodati eſſent in navibus, omnes ad claſſem reducti ſunt: & propugnaculum igne conſumſimus: Mauri vero quod noſtri ibi reliquerunt, ſpoliaverunt.

Pſittici Carduelis magnitudine.

Quatuor viri in duabus Canois, refocillationes promittunt.

Rarus tripudiandi modus incolarū, qui me obruere volebant.

Viri 16. expeditionem parant, ad boves aliquos, & Oves recuperandum.

Viri 16. a 300. Mauris circundātur, quidque ſucceſſerit.

Nauclerus occiditur alij ſauciantur.

Mauri pro vindicta tripudiant.

Viri 48. excurrunt.

Maurus ſcloppis occiditur.

Die 3. Decembris Acatio & ſcapha flumen aſcendimus, ad tentandum, ſi aliquid recuperare poſſemus, ſed poſtridie reverſi ſumus, qui ob validum adverſantem fluctum, non vltra tria miliaria aſcendere poteramus: regio erat tota ſylvoſa, quam penetrare non licuit, nemoque aderat, qui nos alloqueretur, ſed omnes nos fugerunt.

Die 6. Decembris tempore antelucano, adnavigavimus duas inſulas, quæ nobis ad Libonotum erant, ad refocillationes aliquas recuperandum: quas cum ob noctis obſcuritatem invenire nequivimus ante diem clarum, vidimus tunc inde terram firmam verſus quatuor *Almadias* navigare; quas remigando perſequentes, conſequi nequivimus. Cancros aliquot hic cepimus, qui hinc terram adnavigantes, attegias aliquas incendimus, ſed Mauri omnes evaſerunt. In ſcopulos hic certos incidimus, qui in his oris abundant: interim nonnulli terram ingreſſi, boves aliquot invenerunt, & abegerunt, qui ab incolis recuperantur.

Attegiæ aliquæ inceduntur.

Conditio, Religio, mores & conſuetudines Incolarum Madagaſcar, *& ſitus eorum qui accolunt fluvium, qui S. Auguſtini portus dicitur.*

CAP. 8.

Deſcriptio incolarum Madagaſcar.

ACcolæ huius fluvij, eorumque vicini, Mauri ſunt corpore robuſto, & optime proportionato, tam viri, quã mulieres. Viri ſolo Goſſypino panno veſtiuntur circa pudenda: ſed vtuntur præterea mulieres colobio ad tegenda vbera. In auriculis infimis foramina habent ad pollicis amplitudinem, quæ ligni particulis farciunt. Illorum Religio eſt, quod Creatorem qui cuncta creavit, eſſe profitentur: ſuntque circoncisi: Orare ignorant, nec feſta aliqua celebrant, tanti facientes vnũ quam alterũ diem: nec nomine vnũ ab altero diſtinguere norunt: nec ſeptimanis, menſibus & annis numerare ſciunt; nec vltra denariũ numerum numerare norunt: ſcilicet, *iſſa, rove, ſello, eſſad, lime, enning, fruto, woullo, Siday, foulo.* Diabolũ plurimũ metuunt, quẽ *Taiwaddey* nominant, qui ſæpe eos, præſertim viros, vexat. Piſcationes præcipue exercent, aut retibus, aut in locis vadoſis, iaculis piſces perforãdo, quos exiccant & torrẽt, & vehunt, ſicut & ſalẽ, & Tamarindos, in regionis meditullio, vbi vicus magnus eſt habitatus, quẽ *Rango* nominant; & ibi iaculis commutant, que *Leſſo* vocantur, & cultris magnis, *Wiei* dictis, &c. Vnicã ducunt vxorem, maſculi 10. aut 12. annorum exiſtentes, & femellæ 10. annorum. Adulterium morte plectitur, ſic & furtum. Viri venationibus operam dant, mulieres nent, & texunt pannos Goſſypinos, ac domeſtica curant.

Numeri illorum.

Diabolum metuunt.

Adulteriũ & furtum morte plectitur.

Præcipua cibaria ſunt piſces, Tamarindi, fabæ & lac; nonnunquam carnes edunt. Cum aliquis Bovem aut Ovẽ mactat, quilibet partem aufert, ea conditione, vt ſimilem reddat portionem cum mactaverit.

Armentorũ & gregum deſcriptio.

Boves habent egregios, Hiſpanis diſpoſitione ſimiles: gibbum in dorſo gerunt magnum, ex puro adipe. Oves habent magnas & egregias, quarum aliquæ caudem habent 22. aut 23. pollices groſſam. Habent & Hœdos, & Capras, carnoſos & perobeſas. Vivunt Patriarcharum veteris Teſtamenti more, aut Nomadum in Africa, & Tartarorum in Aſia, paſcentes armenta & greges, a loco in locum ducẽtes, pro ratione temporis anni, & depaſtione pratorum: quare tuguriola habent, tantummodo ramis tecta, ac diverſis in locis poſita.

Fructus huius inſulæ...

Illorum fructus ſunt Tamarindi, fabæ magnæ noſtratis ſimiles, in arboribus proceris creſcentes, ſiliquæ ſunt virides; ſed maturæ fiunt cinereæ, cortice duro, pulpa fuſca, quæ ſaporem habet prunorum exiccatorum: & quælibet ſiliqua tres aut quatuor fabas continet. Tamarindi Epar & renes plurimum refrigerant: in aqua macerantur, quæ mane pota, alvum leniter laxat. Habent duas aut tres Phaſelorum ſpecies; & Pepones, & Cucurbitas ventricoſas. Incolæ in arboribus mel colligunt: regio eſt multigenarum avium ditiſſima. Herbam habẽt ex qua paratur id, quod *Anil* dicitur, creſcitque in campeſtribus. Cum filum Goſſypinum tingere volunt, huius herbæ quantum opus eſt, colligunt & tundunt: nullam in paſtillos reducunt, aut in ollis condunt ad vendendum, nam in alienis terris non negotiantur, vocantque *Enger*. Herba eſt folijs Roriſmarini, ſed humilior; vt Thymus creſcit. Habent quoque diverſa ligna, quibus tingunt rubrum, nigrum, citrinum, & ſpadiceum.

Ferro abũdat & Goſſypio.

Ferro optimo abundant: habent & Cuprum rubeum: & quamvis ipſis Cochlear argenteum, loco ſtannei obtulerimus, mordentes, & ſentientes durum eſſe, recuſarunt: quod eſt indicium, res ſingulas tãti valoris eſſe, quanti æſtimantur.

Goſſypio abundant, quod in parvis arboribus, & locis campeſtribus creſcit.

Navigatio ex fluvio dulci in Iavam, & quid in itinere accidit.

CAP. 9.

Iter ex fluvio dulci in Iavam.

COnſiderantes igitur quod nullas refocillationes ab incolis conſequi poſſent, nec Vllam cum ipſis amicitia contrahi poſſet, quia omnes fugiſſent: quodque Pinaſſa nullum alium portum aut fluvium invenire potuit, Vbi refocillationem aliquam comparare poſſemus; die 13. Decembris, levatis anchoris, vela fecimus, ad iter noſtrum in Iavam promovendum.

Tempeſtas valida & nimboſa: & navis Amſtelrodami & Pinaſſæ deviatio.

Die 15. Decembris, terram altam conſpeximus retro Cœmiterium Battavorum, quod die 16. valde altum adhuc vidimus. Erat hic mare turgidum & undoſum. Die 18. tempeſtas valida oborta eſt, quæ quotidie in hac regione eſt expectanda, cum pluvia nimboſa: qua de cauſa multam in navibus aquam, per tabulati commiſſuras Solis calore apertas, recepimus: naves vertimus, ſingulæ duas faces elevãtes: cumque tempeſtas creſceret, cuncta vela deduxi-

deduximus. Subſequente die navis Amſtelrodamum & Pinaſſa, conſpectum noſtrum fugierunt; navigavimus ad Ypeurum, ob variationem Compaſſus nautici, quæ Apeliotica erat, nec noſtras amiſſas percepimus naves.

Die 21. navem Hollandiam fere e conſpectu amiſimus, & die 22. duo conſpeximus vela ad Notolybicum noſtri, ad quæ curſum direximus.

Die 23. a meridie Pinaſſam vidimus, quæ nobis declaravit, quod maximum paſſa erat periculum, ex oborta tempeſtate; nam latus velo oppoſitũ a validis vndis incuſſum erat: & quod maximo metu affecta fuiſſet, quod a reliqua claſſe ſe ſeparatam viderat. Fuit & navis Amſtelrodamum ſola navigans, quæ Pinaſſam non viderat donec ambæ ſecundo vento nos adnavigabant. Iter noſtrum perſequentes, maxime ad Cæciam vela dedimus, quia in hac parte præcipue flabat Notapeliotes, tractu uno aut Orientalior, aut Auſtralior. Die 31. Decembris, altitudinẽ Poli Antarctici invenimus 22. grad. & die primo Ianuarij 1596. grad 21. quare magis ad Boream fluctibus validioribus pellebamur, quam ad Orientem navigavimus. Fuit enim nobis Notapeliotes valde rudis; & quia plures ex noſtris in morbum reciderunt, deliberavimus die quinto Ianuarij, *Madagaſcar* redire, & ſub Poli Antarctici altitudine 17. graduum, ad inſulam S. Mariæ, anchoram demittere, ad recuperandam refocillationem aliquam: & die decimo terram S. Mariæ conſpeximus mediocriter altam, colliculoſam, & fractam. Hac nocte elongati a terra manſimus; in quadrante diurno iterum terram adnavigavimus, bolideque profundum tentavimus 17. orgyiarũ, fundo exiſtente ex arena glareoſa, miliari vno a terra. Tunc quoque deteximus terram altam *Madagaſcar* duplicatam, extenſam ad Meſolibonotum & Ypaquilonem, quæ quaſi nebuloſa apparebat. Inſula S. Mariæ, ab Auſtro, deſcendit lingula, porrecta ſemimiliare in mare, ad Notapeliotem, quo Pinaſſa curſum direxit, profundo ſex orgyiarum ad Notapeliotem; adeo prope, vt lapidem in lingulam ruere potuiſſet. Ad Orientem Inſulæ eſt ſcopulus, diſtans ab eadem ad iactum ſclopi Muſſceti, qui a longe velo aſſimilatur. Terminus Auſtralis, duobus ſcopulis Boreali iungitur, aliter ab invicem diviſi eſſent: egregia & viridans eſt inſula. Inter hanc & Madagaſcar validus deſcendit fluctus ex Aquilone ad Notolybicum, ubi fundum arenoſum tentavimus ſub gurgite 20. 18. 16. & 15. orgyiarum, anchoramque ſolvimus: & percepimus in Inſula Madagaſcar ſinum magnum, in quo & fluvius apparebat.

Reverſi ſumus ſub Poli Antarctici altitudine 17. grad. ad Inſulam S. Mariæ.

Sequenti die deliberavimus inſulam adnavigare: interim *Canoa* ex inſula Lionem ſeu navem Hollandiam appulit, adferens præſtantiſſimam Oryzam, Arundines Saccharinas, Mala Medica, & Gallinam, quæ nonnullis ſtadarijs, & orbiculis precarijs commutarunt: noſtri in Leone eos detinuerunt edentes & bibentes donec ebrij eſſent: læti & Deum laudantes, quod opportune eo veniſſemus: & Pinaſſam miſimus, vt bolide profundum ubique exploraret, vt & claſſis inſulam magis appropinquaret. Nos quoque tribus ſcaphis terram appulimus, vbi plurimos incolas in litore invenimus, qui adferebant multa Mala Medica, & *Palmites* (qui fructus Pineæ nuci, aut *Bannanas* ſimiles ſunt) creſcentes in arboribus proceris, non ex ramis, ſed ex arboris trunco valde ſpinoſo; fructus eſt dulciſſimus, aurei coloris; præterea *Bannanas*; lac & coagulũ, & alium fructum Dactylo ſimilem, in ore vrentem velut Piper. Alium quoque griſeum Pyriformem, & intus viſcoſum, ſed ſaluberrimũ, & refrigerantem. Inſuper & alium rotundum, Melonis effigie, cortice duro; & plures alios fructus valde ſanos.

Canoa onerata Oryza & Saccharo navem Leonem appulit.

Certorum fructuum deſcriptio.

Navigavimus vna cum illis, ad alveum quendam, inter magnam, & parvam inſulam, ubi ſtylũ invenimus, & ſemicõbuſtum Epidromi malum navis, vulgo Crake vocatæ; quæ, vt apparuit, ibi perierat. Ab eiſdem quoque comparavimus duo animalcula Cuniculi magnitudine, capite vulpino & corpore hiſtricis aut Erinacij, quæ in aquis ceperunt. Nos cum longe a claſſe abeſſemus, noluimus cum ſcaphis vlterius navigare; ſed quinque viros cum incolis miſimus, ad viſitandum eorum habitationes: qui reverſi aquam dulcem inveniſſe dixerunt, & ad claſſem reverſi ſumus: in itinere nihilominus in terram deſcendimus, & parum progreſſi, multos decerpſimus fructus. Invenimus & prata aliqua, valde virenti gramine prædita, in quibus Boves depaſti erant. Sub veſperam claſſem appulimus, vbi Pinaſſæ Nauclerus aderat, qui vbique invenit profundum 15. 18. & 20. orgyiarum, anchoris figendis idoneum: ſed vi fluctus; qui, vt prædictum eſt, ab Aquilone deſcendit ad Notolybicum, ad ſcopulum ductus erat. Die ſubſequente explorato gurgite, ſeſquimiliare terram propius acceſſimus, & iterum terram appulimus, ad villulam quæ circiter 20. domos continebat, a qua & altera parũ diſtabat. Mox aderat turba magna incolarum vtriuſque ſexus, inter quos & Dynaſta erat, qui quadam ſub arbore, ſub vmbraculo ſedens, ſe præſentabat: deinde mulieres ordine accedebant magna cum gravitate, adferentes varios fructus, gallinas, aliaque plura, quæ per ſervos adferri iuſſerunt; ac orbiculis precarijs, alijſque mercibus commutarunt.

Duæ villulæ vicinæ.

Dynaſta, quem *Cheke* vocabant, prolixam ad nos habuit orationem de noſtro adventu, ſæpius oculis in cælum attollens. Sed cum ipſum non intelligeremus, operam dedimus, vt nobis Mala Medica, alioſque fructus emeremus. Adduxerunt & Boves & Oves venales, pro quibus armillas petierunt, quas cum ibi non haberemus, illis reliquimus.

Dynaſta orationem habuit.

Inter illorum Canoas, *Pinaſſam appulit, navis, quam* Laveiate *nominant, habens formam Biremis, in qua ab vtroque latere erant octo remiges: aderat quoque illorum Rex, quem* Philo *nominant, huiuſmodi armaturam manu tenens, indutus pallio Goſſypino ſtriato, gerens in capite pileum, infula in epiſcopalē referens, & ab vtroque latere duo cornua factitia in altum erecta, mediam vlnam longa, in extremitate faſciolis artificioſe ornata: cui aderant 25. viri fere, qui eius videbantur eſſe nobiles. Hic in ſua ſedens navicula, qua lintris Venetæ formam habuit, in noſtram aſcendit navem vna cum ſene, qui ſtragulum extenderat: in quo ſedens, prolixam habuit Orationem, quam non intelleximus: Quantitatem aliquam Oryza, & fructus nobis donavit: & nos ad Pinaſſam ipſum duximus, qui in* Canoa *ſedens eam circumnavigavit, magna cum admiratione eam aſpiciens. Nos illi donavimus annulos auriculares, orbiculos precarios, ſpecula parva, Roſulas, vitra, quæ grato accepit animo.*

Delineatio ad vivum Incolarum magni Sinus Tangil, *eo modo quo ad bellum vadunt, gerentes ſcutum magnum ligneum, in cuius ſuperiori parte eſt foramen ſtriatum, ne tuto per illud perſpiciant. Viri ſunt robuſti, & bene formati. Illorum armatura, ſariſſa eſt duas Orgyias longa, mucrone ferreo largo præpilata. Sclopos mirum in modum metuunt, qui ante noſtrum adventum ſclopos non noverant. Mulieres ſunt tonſe, hoc quo hic videt modo infantes ſuos lactantes. Hic vidi Chamaleontes, qui etſi in hiſce regionibus non edere dicantur, vidi tamen quod lingua muſcas pungunt & edunt.*



Quid Pinaſſa acciderit in eius navigatione in Madagaſcar.

CAP. X.

Cymba vulgo *Lacca* dicta navē Hollādiam appulit.

DIe 14. Ianuarij, ſummo mane, Pinaſſa vela vento committens, tunc appulit navem Hollandiam ſcapha magna, vulgo *Lacca* dicta, formam Lintris Venetæ habens, in qua 25. viri erant, Capræ plurimæ, Oves, Gallinæ, Oryza & fructus, quæ cuncta noſtris vendiderunt. Nos vero cum Pinaſſa curſum noſtrum perſequentes verſus Madagaſcar, vidimus in inſula S. Mariæ ſinum collibus circumſeptum, ſed nimium vadoſum ad Pinaſſæ anchoram demittēdam: in quo quoque nonnulli erant ſcopuli, & duæ parvæ inſulæ: quarū altera Oryza ſeminata erat, altera ſylvoſa. Sinus tractus erat ad Notapeliotem. Alveum tranſcurrendo ſæpius bolide profundum tentavimus, eiuſque maximam altitudinem maiori ſtricto invenimus 27. & 28. Orgyiarū, fundo exiſtente arenoſo:

arenoſo: cuius freti latitudo miliare non exceſſerat, cuiuſque latus adnavigantes, ſinus clauſus apparuit. Sed ſecundum terram navigantes, inter arbores vidimus non longe a litore diverſas domos, & homines nullos; deinde fluvium mox conſpeximus, in quo *Canoa* populo onuſta erat, atque aliquos in ripa ſtantes: quos vt conveniremus, Sole exiſtente Notolybico, anchoras commiſimus 6. orgyiarum profundo, in fundo arenoſo valde plano, & ſcapha fluuium acceſſimus: ſed cum ad eius oſtium ingens eſſet pulvinus, ubi mirũ in modum æſtuabat, ipſum non ingreſſi ſumus: ſed ad ſiccum pulvinum remis nos ſuſtinentes, viros duos in terram poſuimus; qui ad fluvium perrexerunt, ubi *Canoas* invenerunt cum viris quinque: qui quamvis eos vocarent, nolebant accedere; quare ad ſcapham reverſi ſunt. Nos vero ſuſpicantes (ſicut accidit) quod incolæ nos accederent, aliquamdiu illic hæſimus, vbi 22. Mauri venerunt, rogantes vt in terram deſcenderemus: ſed cum ſero eſſet, promiſimus poſtridie venturos; nihilominus oſtendimus merces aliquas, quas plurimum deſiderabant, ſed nihil attulerant cum ijs commutandum. Quatuor haſtas longas habuerunt argento ornatas. Mulieres panno lineo ſtriato erant veſtitæ, ex quo colobium habebant, & pallam ad ſuræ medium dependentem. Viri vero veſtiti erant panno ex herba quadam texto, quilibet eorum deferens cannam aqua ſalſa repletam. Regio erat amœna, multis arboribus conſita, eratque terra alta quadruplicata. Fluvius in regione ampliſſimus, foris ad fauces obſtrictus fere, qui ramorũ altero in mare ſe exoneravit, ad muſcheti iactum ab altero ſeparatus. Ad Boreum fluuij, viſa fuit magna populi turma, ſed pluvia nos ad Pinaſſam remiſit.

Incolarum petitio.

Poſtridie ſummo mane, dubitãtes an vela faceremus nec ne, qui nos a Mauris deceptos exiſtimavimus, vidimus incolas aliquos, *Canoas* tranſportare, qui ob maris æſtum, ad oſtium fluvij in pulvino æſtuantem, parvis *Canois* tranſmeare non audebant: eaſque deduxerunt ad eundem locum, in quo die præcedente in terram deſcendimus. Omnium primi nos appulerunt tres viri, Oryzæ paulum adferentes, & rogantes vt in terram deſcenderemus: quod factum fuiſſet, niſi in fluminis oſtio magnam vidiſſemus *Canoam* cum viris 25. adnavigantem, qui Oryzam, Gallinas, Ova, Mala Medica, Citria & *Bannanas*, & nonnullos Phaſelos adferebant; quæ ſpeculis parvis, orbiculis precatijs, & aciculis commutaverunt. Innumerum conſpeximus populum eodem in loco vbi pridie in terram deſcendimus, aliaſque ſex *Canoas*, quæ nos appulerunt, plurimos ex prædictis fructibus adferentes. Poſt meridiem & aliæ appulerunt, quas inter magna fuit *Lanciata*, Biremi ſimilis, in quã Rex, qui Philo vocatur, aderat, vtrinque octo habens remiges: reliqui 25. nobiles repræſentabant. Magno ſilentio appulerunt, & Rex vna cum viro ſene Pinaſſam conſcendit, & ſuprã ſtragulum ſedit. Qui peracta longa Oratione, Oryzam nobis & fructus donavit: nos viciſſim, vitra, roſulas, parvã ſpecula, inaures, & orbiculos precarios illi donavimus, qui iterum in *Lanciatam* deſcendit. Cingebatur eleganti panno lineo ſtriato ad terram vſque: pileum geſſit in capite Infulæ Epiſcopali ſimilem, & vtrinque Cornu factitium ſemiſſulnam longum, cum faſciolis in cuſpide, artificioſe factis. A populo plurimum reverebatur, & nemo eo præſente audebat loqui. Pinaſſam admirando & exigua *Canoa* circumnavigando, conſpexit. Interim alia appulit *Canoa*, in qua viri 33. adferentes multas refocillationes, quibus omnes meas commutavi merces. Tunc vela dedimus, ad alterum fluminis oſtium recognoſcendum: ſed cum humilem ad aggerem veniſſemus, ubi fundus valde planus erat, & magna tempeſtas inſtare videretur, reverſi ſumus ad priſtinum locum, & anchorã fundo commiſimus. Tunc appulerunt binæ *Almadiæ* magnæ cum multis incolis, adferentes vitulum, panni lanei parte, quam oſtenderam, commutandum: ſed tanti emere nolens carnem vitulinam, & Gallinæ nobis cum ſatisfacerent, cum reliquis *Canois* celerrime fluvium verſus navigavit, ubi plures Boves, Oves & Capras vidimus. Mercibus igitur noſtris, omnibus diſtributis, altero die, vela fecimus, ſecundum oram navigantes, vt melius terram recognoſceremus. Sed cum flaret Notapeliotes, ne in humiliorem ignotum aggerem, quo fluctus nos duxit, impingeremus, ad claſſem remeavimus.

Fructus quos adferebant.

Regis adventus & oratio.

Regis veſtimenta, & pileus.

Pinaſſa ad claſſem reditus: quid poſt ad S. Mariæ inſulam accidit: & ad Sinum Antongili *navigatio.*

CAP. II.

PInaſſa curſum dirigens verſus Madagaſcar, ſcaphæ tres viris munitæ, inſulam S. Mariæ adnavigarunt, qui a *Cheque* expectabantur; & in terram deſcenſi per villam cum eo deambulaverunt: quorum aliqui eum comitati ſunt ad aliam Inſulæ partem, vbi fontem invenerunt; & comparatis aliquot Gallinis, Oryza & fructibus, ad naves reverſi ſunt. Dono dederunt *Cheque* oblongum orbiculum precarium cæruleum. Poſtridie noſtri aquam recentem ex quadam foſſa hauriebant, & fructus aliquos emerunt. Die 16. Ianuarij diverſæ Lintres ſive *Canoæ* refocillantia adferentes, claſſem appulerunt, & nos cum Pinaſſa ad eandem reverſi ſumus. Nos autem referentes ea quæ de ſinu vidimus in Inſula S. Mariæ, die ſubſequenti Pinaſſa eo navigavit, cui ob vada ſinum ingredi non licuit: quare anchoram ad ſcopulum demittentes ſcapha in ſinum navigarunt, vbi nullum invenerunt cum quo tractarent. Die 18. mortuum Celeuſtem ad inſulam S. Mariæ portavimus ſepeliendum, præſentibus incolis: qui ſignis nobis oſtenderunt animam in Cælum migraſſe: ex quo patet ipſos melius de Deo ſentire, quã accolæ Fluvij dulcis: ſed mortui tibias ad genua amputatas voluerunt, quod facere recuſavimus, & integrum ſepelivimus. Lactis parum emimus, quod edimus, Cochlearium defectu, folijs *Bannanas* commode plicatis, tunc

Commercia quæ hic fecimus.

Diverſæ lintres claſſem appulerunt.

Celeuſtes obijt: quidque incolæ ſentiant de mortuis.

ad Pi-

ad Pinaſſam reverſi ſumus, quæ in gurgite 27. orgyiarum, non longe a terra aberat. Nullis cum Incolis contrahere potuimus. Sinũ intronavigavimus ad recuperandam aquam dulcem, ſed invenire nequivimus: fundus ſcopuloſus & vadoſus erat, & in faucibus duæ erant exiguæ inſulæ, quarum prior humilis erat, & arboribus abundans: altera egregia & alta, Oryza ſeminata. Incolas nullos ibi invenire licuit, ſed ſecundum terram enavigantes, ubique tuguria valde humilia in litore conſpeximus, ad teli iactum ab invicem diſtantia: vbi mox exiliit vir armatus ſariſſa, & magno ſcuto ligneo, alta clamans voce: quare mox omnes alij ex reliquis tugurijs ſalientes eodem modo armati, in litore congregati ſunt: qui, vt ex ipſorum ſignis capere licuit, bellum cum incolis Madagaſcar gerebant: & ne ex improviſo obruerentur, hæc excubiarum tuguria fabricata erant. Villam magnam in monte ſitam vidimus vallo circundatam & inacceſſibilem, tum ob montis arduum aſcenſum, tum ab vno latere arctã viam triplici vallo vnica apertione munitam, qua niſi ſinguli alternatim aſcendere poſſunt: in qua Dynaſtes aut *Cheque* habitabat, qui cum vxore, plurimiſque incolis nos acceſſit, adferens plurimas refocillationes, quas emimus. Die ſequẽti eo reverſi ſumus, & optimas nobis comparavimus refocillationes. Sed quia difficulter aquam recentem invenire potuimus, deliberavimus magnum adnavigare ſinum, ad Oram *Madagaſcar*: & animadvertimus Inſulam S. Mariæ in latere Borrhapeliotico maiorem habere latitudinem: cuius tractus erat ad Borrhapeliotem & Notolybicum. Fertiliſſima eſt Oryzæ, omniumque rerum quæ refocillationi ſerviunt, & peramœna, & viridis. Sunt Incolæ *Caphres*, id eſt Ethnici, & circoncisi, & optime membris proportionati: ſed brevitate temporis non licuit quidquã de eorum moribus inquirere. Superato ſtricto reperimus tractum terræ *Madagaſcar* eſſe ad Ypophœnicem, & Ypocircium, ſed ventricoſum, vbi nonnullas incolas in litore, magnamque *Canoam* incolis munitam conſpeximus. Regio eſt pulcra, amœna & viridans, & contractioribus velis hac nocte ad Eurum navigavimus, flante Lybonoto. In quadrante diurno navem vertentes, ad Ypaquilonem navigavimus, anguloque ſuperato, ad Circium curſum direximus, prout ſinus introrſum extendebatur, vt retro Auſtralem navigaremus angulum, ſed per Chartas marinas decepti, ibi nullum invenimus ſinum, quem Chartæ explicant, nec locum tutum a Notapeliote, Euro & Phœnice, qui venti eo in loco plurimum vigent. Et quamvis ſolummodo in ipſis faucibus exiſtentes, ea de cauſa ſæpius vela obliquavimus, nihilominus fluctuum vi introacti fuimus: quare Pinaſſa ad ſinus poſteriora miſſa fuit, vt recognoſceret an ibi eſſet navium ſtatio tuta, interim nos vero oppoſuimus. Die ſequenti cum multum introacti eſſemus, a latere Notolybico bolidem deiecimus in gurgite 35. orgyiarum, & fundo contis apto, & a latere Orientali, fundo argilloſo. Nos quidem ſuſpicantes quod Pinaſſæ occurreremus, ſecundo vento curſum direximus ad lateralem aquam, quæ inter duos montes aggeris Borealis deſcendebat. Et cum nox inſtaret, anchoram poſuimus in gurgite 22. orgyiarum, fundoque anchoris commodiſſimo: die vero ſequenti duabus ſcaphis terram appulimus, ubi noctu aliquos ignes, & fumum magnum elevari conſpeximus, venimuſque ad fauces aquæ lateralis ubi aquã recuperare potuiſſemus & duodecim Mauros in ſex lintribus reperimus. Tunc ex noſtris ſex in villam miſimus, quæ parum abeſt a litore, in cuius oppoſito altera erat villa magna, in qua magnæ erant ædes, & magna incolarum frequentia, quibuſcum orbiculos precarios longos, Gallinis, Oriza, melle, Granis Paradyſi, Zinzibere viridi, Phaſelis & pomis Aurantijs commutavimus: qui & ſignis ſignificabant, quod poſtridie Boves & Oves adducerent. Celox navis Amſtelrodami, quæ magis ingreſſa erat, noſtras ſcaphas adnavigãs in inſulam ... vocata, ibi appulit: vbi & magna erat villa, cum incolarum frequentia: aderat quoque Dynaſtes, qui eleganti veſte indutus, gerebat ſcutum Indicum, cuius limbus deauratus fuit, & ab alio retro illum ferebatur. Inveniebãt ibi folia ficus delapſa in terram, quæ Caryophyllorum & odorem, & ſaporem obtinebant. Acceſſit nos Pinaſſa, quæ indicabat ſe repériſſe retro inſulam, tutam navium ſtationem, & fluvium. Quare in altum ſublatis velis, ſcaphas noſtras expectavimus, quæ mox appulerunt, ſed ob ſupervenientem noctem non ita longe navigavimus, & anchoram ſolvimus ſemimiliari a Boreo aggere, in gurgite vndecim orgyiarum. Tamen cum die poſtero malacia eſſet, rurſus terram appulimus, & villam ingreſſi ſumus, in qua magnam invenimus domum excubijs deſtinatam, vt apparuit, nam duo ibi pendebant tympana: vbi parvum Bovem, & mellis parum emimus. A meridie ſpirante vento altano Phœnice, eodem veſperi retro inſulam navigavimus, ubi anchoram commiſimus profundo 13. orgyiarum, in fundo lutoſo.

Tuguria ad litora poſita.

Villa vallo circundata.

Qualitas Incolarum.

Tractus Inſulæ.

Sex viri in villã mittũtur.

Dynaſta egregie veſtitus.

Domus magna, in qua duo tympana erant.

Retro Inſulam in ſinu Antongili *ad anchoram poſiti, quid ab incolis ipſis acciderit.*

C A P. 12.

Die 26. Ianuarij mane, quindecim magnæ *Canoæ* e fluvio, & vicinia, piſcatum navigarunt: quarum vna noſtram appulit navem, adferens parum Oryzæ. Dicebant qui aderant incolæ, ſi quis veſtrum in terram deſcendere velit, tres ex noſtris obſides hic manebunt. Quare vnus ex noſtris eo navigans, in terram deſcendit cum aliquibus donarijs: interim nos obſides optime tractavimus, qui mirum in modum vinum affectabant, ſed ipſis non dandum. Inſulam parvam appulimus, vbi egregiam invenimus aquam, & ad hauriendam facilem, e montibus altis labentem. Inſula equidem pro ſua magnitudine ſatis alta fuit, in circuitu miliare complectens, Orizæ & fructuum feraciſſima, vt ſunt Mala Medica, Citria, *Bannanas* in altum aſcendimus; vbi duodecim aut

cini aut plures erant ædiculæ inhabitatæ; vnde ad Borrholybicum noſtri in terra firma fluvium conſpeximus longe ad Corum in regione ſe extendentem, & multas villas ad ipſum ſitas: in quo ſe ramus exoneravit, e Circio deſcendens, ad quem nonnullæ quoque villæ ſitæ erant. Aſcendendo loca tranſivimus, vbi *Bannanas* creſcebant, & non longe ab invicem duæ conſpiciebantur manus, inter duos baculos fixatas, quæ cuiuſdam Mauri manus erant, qui Bannanas furatum venit, cuius corpus paulo inferius inſepultum iacebat. Sub veſperam noſter ad navem redijt, obſideſque, donario aliquo dimiſimus: noſter optime exceptus fuit gallinis coctis & toſtis, & Oriza: & Cercopithecum attulit; ipſi a Dynaſte donatum, qui bis quoque naves acceſſerat. Die ſequenti tribus ſcaphis in terram deſcendimus: quarum duæ villam appulerunt Occiduam, quam Spachenburgum nominavimus; tertia villam Orientalem, quam Charta marina S. Angelo appellat; Hæc forti valſo munita eſt, ubi noſtri Oryza & Gallinis, Coralla commutabant. In villa Occidentali Spachenburgo duæ ſcaphæ commodiſſimas commutationes fecerunt, vbi & Dynaſta cum adſiſtentibus fere omnibus egregie potus erat; noſtriſque potum propinabant in cornu bovino, coctum ex Melle & Oriza, & Boves egregios invenerunt 20. ſed de pretio convenire non poterant. Villa continebat fere 200. ædes, frequentia populi celebris: quorum incolarum 20. in excubiarum domo ſedebant ſariſſis & ſcutis armati; & quilibet nota candida in pectore ſignatus, vt diſcerni poſſet. Aderat, quo-

Quomodo furtum punitur.

Villæ duæ quarũ altera Spakenburgum, altera S. Angelo dicta.

Duas hic ponimus villas, vallo circundatas, vt vides, habens quelibet binos ingreſſus quorum alter eſt ad ripam fluuij. In villa Occidua Spachenburgum dicta, Regem invenimus potũ; qui nobis propinavit de ſuo potu, cocto ex Oryza & melle, in cornu bovino. Spachenburgo maius lucrum accepimus, ubi commutavimus Corallos vitreos, Oryzæ copia, Capellis, Gallinis & fructibus. Simili modo, in villa S. Angero, in charta marina S. Angelo, dicta, eodem quo ſupra modo negociati ſumus. Villa ſunt populoſa, continet quelibet 200. ædes, domumque excubiarum in medio ſitam in qua viros 20. invenimus ſariſſis & ſcutis armatos, quæ excubiæ noctu augmentantur. Ædes palis ſunt ſuperſtructæ, cum tabulatas ſub palis ſunt aſſulæ rotundæ, contra inſectorum aſcenſum. Invenimus quoque hoſpitium, in quo ſocij noſtri biberunt. Habes & Sacchari plantam, quæ hic magna copia coli poſſet ab ijs qui culturam norunt. Creſcunt hic inſuper arbores multæ, a noſtris longe diverſæ, quare fructus hic ponimus, eo quo creſcunt modo. Zingiber eo modo creſcit, quo hic depingitur. Corallus maris vndis ad litora ſinus iactatur, quem ibi collegimus rubrum & album.



que hoſ-

Modus inhumandi Dynaſtam.

Libræ 700. Oryzæ, & Gallinarum quantitates recuperatæ.

que hoſpitium, in quo ex noſtris aliqui cum incolis ſe exhilararunt. Navem, cum tempus erat, appulimus: At cū ad os fluvij magnum eſſet æſtuarium, ambas ſcaphas fortunæ committere auſi non fuimus; ſed latus Occiduum appulimus, vbi quædam tuguriola reperimus, quæ magalia exiſtimavimus: tādem animadvertimus cœmiterium fuiſſe, vbi ex primarijs aliqui ſepulti erant; nam & foſſæ aderant cum amplis cornubus aqua repletis; & ſepulchro ſtorea tecto, corpus in excavata arbore iacebat in terra conditum: alio corpore coopertum, quod pro maiori parte e terra eminebat: & vidimus a latere hominis oſſa adiacentia. Dynaſta villæ S. Angeli, duabus *Canois* nos accedens, declaravit, quod ipſorum Dynaſtam quem Philo nominant, ibi inhumabant, nos rogans ne dicta tuguriola læderemus: noſque amice excipiens rogavit, vt ſequenti die, eius villam inviſeremus: quod facturos promiſimus: cumque iam ſedatior eſſet aura navem appulimus. Poſtero die iterum villam S. Angeli appulimus, vbi Orizæ præſtantiſſimæ 700. libras, & Gallinarum bonam quantitatem comparavimus: aliaque ex ſcaphis noſtris aliam adnavigavit villam, ad Circium adverſo fluctu fluvium aſcendens, vbi & egregias refocillationes ſibi comparavit, atque Iuvencum. Nos illis propinavimus vinum Hiſpanum, quod præ omnibus quas vidimus nationes affectant. Subſequente die iterum in terram deſcendimus, in his tribus prædictis locis nos repartientes, eodemque die bis ivimus & reverſi ſumus; & quælibet ſcapha centum libras Orizæ fere accumulavit: & plus commutaſſemus, niſi excubias agere debuiſſent. Nos quidem ad claſſem reverſi ſumus: nam ex quo imber tonitruoſus ſupervenerat, non auſi fuimus ibi pernoctare. Excubiæ erant ex 30. viris, ſariſſis longis & magnis ſcutis armatis.

Die 30. & 31. Ianuarij, ſimili modo Oryzæ copiam, aliaſque refocillationes recuperavimus: interim quoque inſulam quotidie adnavigavimus, ad aquandum: melliſque parum & mala Citria comparavimus.

Dynaſtes vetuit ne venderetur Oryza.

Tempeſtatis validæ deſcriptio; per quam duæ ſcaphæ amiſſæ fuerunt,

Die primo Februarij omnes villas adnavigavimus, ad comparandum Oryzam, quod *Philo* prohibuit in villa quæ in aſcenſu fluvij ſita eſt: qui egregio panno lineo ornatus erat, pileoque ex herba viridi texto. Suſpicabatur id factum fuiſſe, tum quod in agris plurimum Oryzæ adhuc exiccandum eſſet; tum ob quotidianos imbres: & Oryzæ cariſtiam metuens, noluit tanta Oryzæ copia privari, quod ſæpius ibi accidit. Tunc quidem bonam Oryzæ quantitatem comparavimus, non tantam tamen, quantam his diebus præcedentibus collegimus. Aderant 10. aut 12. egregij Boves, ſed de pretio non convenimus. Deliberavimus die 3. februarij vela facere, ideoque omnē præparationē fieri curavimus. Die 2. iterū in terram deſcendimus, bonamque Oryzæ quantitatem, Capras & Gallinas recuperavimus; miſimuſque ſcapham colligere petras, nam noſtra navis oblongior erat & anguſtior. Circa mediam noctem tanta oborta eſt tempeſtas, quod anchoræ noſtræ ſunt ſolutæ, quæ ex montanis deſcendit per terram: quare die 3. Februarij tertiam anchoram fundo commiſimus: cumque vētus continuo validior evaderet, anchoram ſacram demiſimus, ita quod quatuor anchoris muniti eramus, ſicut & reliquæ naves; ſed omnes relaxatæ fuerunt ventorum violentia, tamque horribilis erat tempeſtas, vt pulſi ad alvum navis Hollandiæ, in mutuam perniciem deſtinati videremur, eo quod ambæ navis rudentes amplius laxari non poterant: quare & ſcaphas ambas amiſimus, quæ ab æſtuario ad littus pulſæ fuerunt: vbi mox Mauri concurrerunt, & in terram traxerunt. Nos non longe aberamus ab æſtuario, in gurgite decem Orgyiarum: ita quod duplici iactu in eum iactare licuiſſet & ſæpe mutuo nos alliſimus, quod nos magnum incuſſit metum ne nos mutuo mergeremus: ſed (Deo ſit laus) nullum aliud ſumus damnum perpeſſi, quam quod pergulam noſtram lateris velo oppoſiti, & partem ſuæ, illiſerit. Ambo paratas habuimus ſecures acutas, ad amputandos malos, ſi opus fuiſſet, ſed Dei benignitate noctu ceſſavit tempeſtas. Pinaſſa quæ ad inſulam erat, nullam tempeſtatem percepit. Die quarto anchoras levavimus, ceſſante tempeſtate, & fluctuum vi ducebamur, qui e fluvio violenter deſcenderant verſus inſulam, ad quam ſe frangentes, ad Boreum ipſius inſulæ latus nos duxerunt, ubi anchoram profundo commiſimus 13. orgyiarum. A Meridie vero vento Auſtrali ad angulum Boreum inſulæ navigavimus: ſed ipſum ſuperare non valentes, ob validos fluctus, qui imbrium nimia abundantia, quæ die & nocte præcedente in terra alta delapſa erat, tanta violentia, vt dici vix queat. Quare anchoram rurſus emiſimus, eodem fere in loco quo prius eramus, in gurgite 14. orgyiarum.

Incolæ S. Angeli ſcaphas diſſiparant vt ferrum haberent,

Die 5. Februarij ſummo mane, quatuor ex noſtris Leonem adnavigarunt, vt iunctim cum ipſius Celoce in terram deſcenderent ad repetendum noſtras ſcaphas: & redimendum, ſi modo ſalvatæ ab incolis eſſent. AEſtuarium intrantes ex magni fluctus exitu, fauces invenimus duplo latiores, quam prius eſſent, foſſaſque iam fluvio proximas, quæ antea longius aberant. Remis flumen aſcendere non valuimus, ſed fune trahere debuimus: qua in re incolæ villæ Occiduæ plurimum nos iuvarunt, donec in fluvio eramus. Indicarunt nobis, quod incolæ villæ S. Angeli, ſcaphas noſtras dirupiſſent: ſed cum S. Angelo appellimus, ſcaphaſque noſtras reperimus, monſtrant in æſtuario magno diſſipatas, & ad ripam pulſas fuiſſe, quas in mininas partes diſſipaſſent, vt ferramenta eximerent. Sed nonnulli ſibi metuentes, vtenſilia & proles in *Canois* portabant, flumenque adverſo fluctu aſcenderunt: alij circiter 50. longis ſariſſis, magniſque ſcutis armati, ad ripam venerunt, vt nos a terra repellerent, quorum aliquot noſtri ſunt inſequuti: qui in ſcapha reverſi ad navem redierunt, & retro inſulam navigati, iterum anchoram figunt in gurgite 13. orgyiarum.

Excurſionis 48. virorū deſcriptio.

Die 6. & 7. Februarij, inſulam appulimus ad aquandum. Die 8. noſtri tribus Celocibus, & 48. viris inſulam adnavigarunt, vt *Lanciatas* aliquas, aut ſcaphas magnas emerent, quibus vti poſſent, loco amiſſarum. Appulentes viderunt circiter 60. Mauros ad ripam Orientalem cum ſariſſis & ſcutis magnis, valde ſaltantes, & audaces ſe mōſtrantes. Incolæ Spachenburgi, iuvabant noſtras trahere Celoces, qui cum incolæ S. Angeli eos minitarentur, ſu-

bito

bito fugerunt. Noſtri ad Cœmiterium invicem expectantes, viderunt circiter 40. boves egregios ibi paſcentes, quos intactos reliquerunt, eo quod ab incolis Spachẽburgi, quorum Boves erant, noſtris nihil niſi quod rectum erat, factum fuit. Coniuncti omnes navigavimus verſus S. Angelo; vbi incolæ ad pugnam parati, gravibus minis, mucrones haſtarum in aquam mittentes, in ore guttas receperunt; quaſi dicant, quod ſariſſas noſtro madefacerent ſanguine, ſi in terram deſcenderimus: & inceperunt adeo lapidibus noſtros petere, vt nuſquam tuti eſſe poterant. Quare harpaces fundo committentes, ſclopos eiaculati ſunt, magis vt inimicis timorem incuterent, quam vt offenderent. Sed ipſi æque audaces, ſuis ſcutis ſe tegentes, quibus glandes excipere putabant; ſtantes erant, donec aliqui caderent; quos ſecum deferentes, fugerunt; & retro domos ſe occultarunt. Paulo poſt duo vel tres incolæ venerunt, rogantes vt noſtri vellent ceſſare, ipſis Boves & Oves adducerent: qui a noſtris furore & ira percitis non auditi, & ſclopis invaſi, fugerunt. Noſtri vero fugatis Incolis coniunctim inſulam appulerũt, eorumque dimidium in terram mittentes, vt ſcrutarentur an ex incolis aliqui in villa occultati eſſent, neminem invenerunt præter puellulam vnius anni fere, quam ſecum deferebant, & omnibus cum vxoribus & filijs fugitis, villam ſpoliaverunt. Interim incendium, ignoto authore, ſecundo vento ædes invaſit: cũque villa ex ligno ſicco & ſtramine ædificata eſſet, tanta celeritate progreſſum eſt, vt vix noſtri ſe ſalvare poſſent: quare Oryzæ non trituratæ plurimum, fructus & gallinæ igne conſumpta fuerunt. Præda quam noſtri iſtinc abſtulerunt, fuerunt duo tympana, ſcutum vnum, *Canoa* vna, & linter; aliquæ ſtoreæ ſtramineæ, & gallinæ nonnullæ: quæ cuncta potuiſſent emi vno Regali aut ſeſquiregali ex octo. Quare conſiderari poteſt, hæc minime facta amore prædæ opimæ: ſed ad moderãdã eorum ſuperbiam: & remigantes paulo vlterius puellula in terram miſſa, mox a Mauris aliquibus ablata fuit. Tuguria quædam & hi ab incendio ſervabant. Incolæ erant circiter 130. quorum quatuor tantummodo occubuerunt; quos in ſylvam Mauri traxerunt multis cum utenſilibus, quæ & ibi reliquerunt. Noſtri ad Cœmiterium in terrã deſcendentes, multos incolas Spachenburgos invenerunt, a quibus amice excepti fuerunt: inter quos erant duo illi obſides quos in nave habuimus. Reliqui videntes quod illos non offenderant, magna multitudine cũ vxoribus & filijs noſtros acceſſerunt, adferentes parũ Oryzæ, & nonnullos fructus. Duos viros, retentis tribus obſidibus, in villam miſerunt, petere Boves aliquos: qui reverſi, dixerunt ſe Dynaſtam, quẽ Philo nominant, inveniſſe ſedentẽ cũ 50 Mauris fere; qui reſponſi loco ſignũ dedit, vt poſtero die redirent, tunc ipſis Boves aliquos daret, nam quos vidimus abacti erant. Interim quod noſtri cum incolis S. Angeli occupati eſſent, ſex Mauros retenuimus, qui ex inſula naves appulerant, adferentes aliquos fructus; inter quos & Dynaſta erat, qui ea de re plurimum conqueſti ſunt. Sed oſtendentes illis incendium, ipſos illius rei inſcios eſſe monſtrabãt: accepitque Dynaſta amphoram aquæ, quam in caput effudit, ſignificans ipſos innoxios eſſe. Sed noſtri omnes ad claſſim illæſi revertẽtes, liberati fuerunt, & in inſulam reducti; vbi & viri, & mulieres accurrebãt, magna cum reverentia Dynaſtæ pedes oſculantes: qui mox iuſſit adferre gallinas, & bonam quantitatem Citriorum, quæ nobis donavit, & de ſua liberatione immenſas gratias egit. Paulo poſt Inſulares ad ripam venerunt ſariſſis & ſcutis, noſtris qui in Pinaſſa erant minitantes: ſed nihil præterea actum fuit.

Mauri minantur, & ſaxis petũt.

Qualis præda fuerat.

Incolarum numerus.

Quo ſigno Dynaſta innocentiam ſuam oſtendit.

Die 9 Februarij Celox Leonis Hollandi inſulam petijt aquatum, quibus occurrit Dynaſta, eis Gallinas aliquas, Oryzam & fructus donans gratitudinis ergo, qui amici receſſerunt. Paulo poſt duæ Celoces & linter viris 46. inſulam adnavigarunt: ſed ad Cœmiterium venientes, invenerunt quatuor aut quinque Spachenburgos, qui ipſos rogabant, vt Dynaſtam accederent: quare eo navigantes, omnes abſentes, omneſque domos clauſas inveniunt. Vnus obſidum ad noſtros venit: ſed cum ipſum non intelligerẽt, tres viros in villã miſerũt, vbi Dynaſtam reperierunt ſtipatum viris, ſariſſis & ſcutis armatis, circiter 60. Sed Mauri noſtros videntes ad ſylvam fugerunt, & villã derelequerũt; quare eos convenire nõ poterant. Quod tres miſſi conſiderantes, ſocijs id ſignificarunt; quare 10. viros ordinaverunt qui ſylvã peterẽt, ſed non intrarent, tantũmodo vt viderent an incolas convenire poſſent, & omnem eis amicitiam oſtenderẽt; ſeveriter ipſis præcipientes ne aliquẽ offenderẽt, nec incendium tentarent, nec domos aperirẽt, nec ſpoliarẽt. Sed cũ noſtri ad ſylvã venerant, Mauri retrocedẽtes, ſignis indicabãt, vt noſtri illos non accederent. Nonnulli Mauri villã ſine armis accedebant vt Gallinas & Oryzã permutarent, nihil quidẽ aliud obtinere poterant: quare ſine illorũ aliqua offenſione iſtinc navigarũt verſus S. Angelo, vt recuperare poſſent *Lanciatam* aut ſcaphã magnam, quam ante incendium ibi reliquimus: qui neminẽ invenientes, dictamque *Lanciatã* abductã, Borealẽ villam petere decreverunt, quæ altius ad flumen ſita erat: vbi venientes, magna aderat Mauroru multitudo, ſuo more armata, eratque ibi, vt apparuit, multarũ villarũ ſynodus. Illic enim invenerunt diverſarum villarum quatuor Dynaſtas, cum eorum vaſallis & ſubditis; numeruſque in dies creſcebat: nam terra & aqua, multis *Lanciatis* & ſcaphis mulieres & ſoboles fugerunt, domibus optime clauſis. Miſerunt ad noſtros virum, rogantẽ vt ab aggere recederent, Boves enim ſe adducturos: quare alteram ad ripam tranſivimus: adduxeruntque Bovẽ & Hircum, oſtendentes ſe nihil aliud habere, qui omnia vtenſilia & armenta abduxerant. Noſtri viciſſim illis dederunt bonã quãtitatẽ Corallorũ, & orbiculorũ precariorũ, quamvis indicarent nihil velle, quam quod donũ ſcaphæ imponerent, & recederent. Cuilibet ex Primarijs a noſtris propinatus fuit hauſtus vini, quod plurimum deſiderabãt; immo ipſe Dynaſta, quem Philo nominant, & ſi magno affectus timore, ob ea, quæ præcedentibus diebus acta erãt, venit hauſtum bibere, ſed ebibito mox retro domos ſe contulit: Oſtenderunt vt dormitum iremus, & poſtero die rediremus, tum plures darent Boves: quare omnes vna ad navem remeavimus.

Viri 46. inſulam adnavigant.

Congregatio Maurorum armatorum.

Primarijs Mauris vinũ propinatur:

D Die

Die 10. Februarij circa meridiem, appulit ſcapha ex Spachenburgo, rogans vt in Inſulam deſcenderemus, nam Dynaſta, armento nos donare decrevit: qui in ea erant navem noſtram ingreſſi, vinum illis propinatum fuit; quod, vt ſupra dictũ eſt, maxime appetunt & dedimuſque aliquos orbiculos precarios, & optime ſatiſfactos ad inſulam remiſimus cum reſponſo, nos in terram deſcenſuros. Sed cum iam ſero eſſet, non videbatur conſultum in terram deſcendere, metuentes incolarum inſidias; ſed parvam appulimus inſulam aquandi gratia, vbi incolas omnes profugos invenimus.

Die 11. Februarij Cœmiterium petivimus, vt cognoſceremus an nuncius pridie verum dixiſſet, & boves aliquos obtinere poſſemus: quo in loco Mauri nonnulli nos expectabant, indicantes vt villam peteremus. Nos quidem inſidias aliquas metuentes, retentis quinque obſidibus, viros duos miſimus: qui redeuntes, dixerunt vt ad villam navigaremus, vbi parvum invenimus bovem, quem abduximus: & miſimus iu villam duos viros, qui retulerunt omnes incolas fugiſſe, nec alios ibi eſſe boves: quare iſtinc abeuntes, ad Borealiorem villam navigavimus, vbi incolæ mox parvum bovem nobis dederunt: quibus viciſſim datæ fuerũt quatuor vlnæ fere panni linei, & corallorum bona quantitas, & iterum navem appulimus. Die 12. deliberavimus ſub veſperam vela dare, quod factũ fuit: & maris fluxu ad inſulæ partem Occiduam ducti ſumus: nam fluctus fortior effluit a parte Occidua, quam Orientali: ubi ad inſulam invenimus Sinum arenoſum, & animadvertimus tractum inſulæ longiorem, eſſe ad Corum & Phœnicem. Retro inſulam erant aliæ tres parvæ inſulæ, immo ſcopuli. Poſtero die, ſumpto de aliquibus ſupplicio, conſpeximus ab angulo Borrhapeliotico ſinus duas lintres petere navim Amſtelrodamum, adferentes varios fructus, & Oryzam, & egregias arundines Zaccharinas, qui petebant vt ipſorum villam accedere vellemus: ſed nos cum optime refocillati eſſemus, curſum noſtrum perſequentes, eodem veſperi ſinum enavigavimus.

Sinum naves enavigant; de ſitu eiuſdem, & eius accolis.

CAP. 13.

Poli Antarctici altitudo Sinus Antongili.

SInus Antongill, ſitus ſub Poli Antarctici altitudine grad. 16. & ſemiſſis, extenditur ad Circium & Phœnicẽ, in longitudine, miliarijs decem; & miliarijs 5. aut circiter, in latitudine. Continet parvam & elegantem viridantem inſulam, ſatis altam: ad cuius Oram, excepto litore, nulla eſt planities: feraciſſima eſt omnium fructuum arboreorum: vt ſunt Mala Medica, Citria & Aurantia: mellis, Oryzæ, Bannanas; Gallinarum, & plurium aliarum rerum dives: maxime habet egregios & commodos decurſus aquarum, qui inter rupes terræ aliæ ad litus deſcendunt: quod navibus maxime eſt opportunum, ad renovãdum aquam dulcẽ. In ingreſſu Borrhapeliotico, nonnullos habet ſcopulos, ex quibus aquã erumpere conſpicitur: ac tres parvas inſulas, & deinde fluvium, ad quẽ diverſæ ſitæ ſunt villæ. Præterea ad aquæ defluvium, in ſinus fere medio, & Boreo aggere, tres habet villas populoſas, pluresq; alias ſecundũ litus, in aliud flumen vſque, quod ad Boreã ſe extendit. Cui ſuccedit fluvius magnus, in quo maiorẽ Oryzæ partẽ cõparavimus, qui duobus ramis, quorũ alter ad Bor. & maior ad Oc. ſe extẽdit; habẽs in medio parvã inſulã, & ad latus Bor. villam magnã, S. Angelo dictam: quæ vallo circundata, & fortificata, continet 250. domos fere. Eſtque vlterius in aſcenſu fluvij alia villa, quam villã Boreã nominavimus, quæ & populoſa, & cibarijs abundans. In ingreſſu ad ſiniſtram alia eſt villa magna, quam Spachenburgum nominavimus, continens 180. ædes fere. Ad Africum Inſulæ, alius eſt fluvius, ad quem quoque ſita eſt villa. Hæ ſunt eius villæ, quæ ad noſtram notitiam pervenerunt. Incolarum Oeconomia & Politia hæc eſt. Pauca habent vtenſilia, nempe ſtoreas parvas in quibus dormiunt & ſedent, varijs coloribus eleganter contextas: ſedes parvas, in quibus caput reclinant, cervicalis loco, eleganter ſculptas: habent vnam aut alteram pilam magnam ad Oryzam contundẽdã, & ab acere purgandam; cribrum ad cribrandum, ollas ad coquendum, ſacculos ad Oryzam imponendam, & Cucurbitas in quibus Oryzam coctam ponunt & edunt. Regis ornatus & veſtimenta, ſunt ſicut aliorum: ſcilicet, ex pãno tincto, & ſtriato, ex aliqua herba texto: armillæ æneæ in brachijs & in collo orbiculi precarij. Dynaſta, quem Phulo nominant, diſcernitur ab alijs per falcem putatoriam, quam gerit ſceptri loco: reliqui ſunt Dynaſtæ obedientiſſimi, & agros colunt.

Deſcriptio villæ S. Angelo.

Spachẽburgi magnitudo.

Ornatus Regius.

Ipſorũ exercitium.

Ipſorum exercitia ſunt venari, arcu ſagittare & feras, atque Cercopithecos varij generis configere, vt nos vidimus, ac retibus piſcari: artem quoque militarem, ſuo more, exercent; qua in re ſunt agiles, & fortes, excubias exercentes, die & nocte, in magna domo: quæ excubiæ plærumque viris 30. fiunt, qui macula alba in pectore ſignantur, vt ab alijs diſcerni poſſent. Ipſorum arma ſunt ſariſſæ, & permagna ſcuta lignea, quibus ſe tegere norunt, ita quod nihil eorum conſpiciatur, præter exiguum alterius pedis. Armenta quoque paſcunt, aut cuſtodiunt. Mulieres plantant, ſeminant, metunt omnia ipſorum grana: vt ſunt, Oryza, duæ aut tres Phaſelorum ſpecies, virides, rubei & albi. Fructus eorum ſunt *Bannanas*, & alij prædicti; qui ipſorum præcipuum ſunt nutrimentum: nam raro carnes edunt, habent pro obſonijs piſces & lac. Veſtes ex herba texunt, quam filant ſuper femur, & ex eadem retia ſua, quæ fortia ſunt, conficiunt. Mulierum veſtes, ad genua dependentes, ex eadem ſunt herba: nonnullæ & colobum ex eadem habent. Ad Ornatum, certas habent armillas ex Stanno, aut Argento viliſſimo, armillis æneis ſimiles, quæ in Guineam vehuntur: aut orbiculos precarios ex eodem:

Mulierum magiſteriũ.

ſed

ſed magis amant, quas *Margaridettas* vulgo nominamus, & cæruleos orbiculos precarios vitreos rotundos. Apud ipſos vidimus lapidem *Languecca* dictum, qui ex inſula *Zeilon* adſertur, cum rotundis Margaridettis, Dallemana dictis. Ex quo apparet, quod naves quædam Luſitanæ, ibi aquatæ ſunt & appulerint, idque eo magis, quod ad inſulam S. Mariæ inuenimus ſtylum mali Epidromi, vt prædictum eſt.

Eorum armenta ſunt Boves egregij, quos habent caros: & ſuſpicor quod eoſdem adorant, ſicut & Canarini, & Malabares Indi. Capellas habent plurimas, ſed paucas Oves. Habent quoque Canes. *Quæ armẽta, volatilia, & fructus habeãt.*

Aves eorum cicures, ſunt Gallinæ & Anates: ſylveſtres habent diverſæ ſpeciei, apud nos nunquam viſas.

Grana ipſorum ſunt Oryza, tres Phaſelorum ſpecies, Milij parum. Fructus ſunt Bannanas, Mala Medica, Citria & Aurea, attamen non tanta copia, quanta in Inſula S. Mariæ.

Zingiber habent, Grana Paradyſi, aliumque fructum, magnitudine Avellanæ, atque folia Caryophyllorum odore.

Præterea radicem habent, Zingiberis radici ſimilem, intus croceam, quæ lingua Malaica *Cunhet*: Arabica, *Habet*: & Luſitanica Zafran de las Indias, dicitur. Primo cum manditur, eius virtus, ob nimiam humiditatem non percipitur: ſed tandem acrimonia quædam ſentitur, non tamen eadem quæ in Zingibere. Producit egregios flores Liliaceos albos: eſtque ad multa medicamenta, commodiſſima. Hæc plurimum in Iava, alijſque Indiæ locis reperitur.

De continua piſcium volantium perſecutione: deque varijs piſcibus & Avibus: & quibus in locis hæc avium genera frequentius videntur, dum navigatur ad Inſulas India Orientalis.

CAP. 14.

CONſiderantes quod Incolas ægre ad quietem, & pacem movere poſſemus, ob ingentem metum, & diffidentiam quam habebant: die 12. Februarij 1596. ſub veſperam, flante Circio vela dedimus, vt ſupra dictũ eſt: curſum dirigentes verſus fretum Sunda, quantum ventus nobis conceſſerat. *Anno 1596. die 12. Februarij.* Die 14. adhuc nobis apparuit terra Promontorij Antongili, navigantes frequentius malacia, vt plurimum ſpirante Cæcia, in 24. diem eiuſdem menſis. Deinde flavit Zephyrus: quare plurimum gaviſi fuimus: & die 29. (cum ſecundum coniecturam eramus circa Brevia Nazareth) bolide tentavimus profundum, ſed fune 80. orgyiarum fundum non tetigimus. Simili modo die tertio Martij, cum coniecimus nos eſſe ſuper Orientalem lingulam, funiculo & bolide centum Orgyiarum fundum non attigimus: deinde ſpirante Coro & Notolybico in diem 23. Martij proſpere navigando, & donec Subſolanus ſpiravit, qui nonnunquam ad Boream, aliquando ad Auſtrum paulliſper declinans, vna cum validiore fluctu, quem ex Notapeliote, a poſtica Iavæ parte obtinuimus, difficile & moleſtum iter nobis peperit, non ſine frequente malacia. Quare deliberavimus aquas dulces renovare in inſulis Auſtralibus *Maldivar*. Inque hoc itinere ſemper multæ conſpiciuntur aves: ſcilicet Gaviæ cinereæ, a Luſitanis Garayas dictæ; & Caudæ Furcatæ, Luſitanis *Rabos forcados*, aves nigræ ſcilicet variegatæ fere vt Picæ, caudam gerentes longam & bifurcatam, formam forcipis Sartoris fere æmulantem, Niſi modo in aere pendentes, caudamque forcipis modo aperientes & claudentes. *Quæ aves hic frequẽtiores ſunt.* Item nonnullæ aves omnino albæ, forma & volatu Columbæ ſimiles, cauda longa & tenui. Inſuper aliæ parvæ, ſicut pulli Anatum, plurimum variegatæ. Quæ aves omnes victum quæritant, & nutriuntur ex mari ſalſo, maxime piſcibus volantibus, magnitudine halecis, qui pinnas habent longas, aliqui binas, aliqui quaternas, quibus cum perſequuntur in aquis ab *Auratis, Bonitis & Albocaris*, é mari elevãtur, vt celeri volatu ſe liberarent & ſalvarẽt ab alijs piſcibus, qui ſumma celeritate ſaltando & natando, eos perſequuntur: vt cum, alis aut pinnis exiccatis, diutius in aere ſe continere non potentes, niſi iterum madefactis, in mare recidunt, illos capiant. *Piſcium deſcriptio.* Nam ſic miſeri illi, & oppreſſi piſces prædicti, in fuga a prædictis avibus capiuntur, & devorantur: quorum aliqui atrociter perſequuti ab vtriſque inimicis, noſtris in navibus ſe ſalvantes, nec amplius ſe elevare valentes, a nautis capti, & comeſti fuerunt; qui gratiſſimi ſaporis erant, ſicut & Gaviæ, *Garayos* dictæ; quæ cum noſtris in navibus quieſcere vellent, a nautis manu capiebantur, quia homines videre non conſuetæ; neminem metuebant. Cumque iam noſter ſermo ſit de piſcibus, quorum ſupra iam mentionem fecimus, piſces Boniti eſu optimi ſunt, attamen viſi ſicci, ſicut noſtrates Carpiones magni, ſed ſpiſſiores, qui tanta multitudine in ſimul iuncti, naves ſequuntur, quod dictu mirum ſit: quorum aliquando magnam copiam hamis cepimus, quibus alligata fuit faſcia linea, qua ſe ſuſpendunt. Hi ingentem copiam piſcium volantium devorant, nam aliquãdo in ipſorum ingluvie 10. aut 12. piſces volantes invenimus. Albecores piſces ſunt pelle alba, qui ſicut Boniti ſquamis carent, ſed pellem habentes lævem, ventre ſunt albo, qui a longe in aquis ſplendentes videntur: & quãvis Bonito ſit perſimilis, magnitudine tamen differunt. Nam vidi aliquos quinquepedales, & hominis craſſitudine; qui ſufficiebant ad cibandum omnes noſtros nautas & claſſiarios, qui 60. numero fuerunt. Piſcis eſt macer, ſiccus & friabilis, vnam in longum ſpinam porrectam habens. Eſt & aliud Piſcis genus Aurata, qui a Luſitanis *Dorado* dicitur: Hic in aquis Croceus apparet, nonnunquam vt Aurum fulgens. Salmoni aliquantiſper aſſimilatur, & ab Anglis Delphinus appellatur; qui, vt fertur, omnes piſces celeritate ſuperat, quod credibile eſt; & meo iudicio

A. *Gaviæ ſunt cinereæ, a Luſitanis Garayos dictæ, Gallinæ magnitudinẽ habent: reperiuntur plærunque circa inſulas* Martini vaz, Triſtanni d'Acanna, *Promontorium Bonæ Spei, Inſulas* S. Helenæ, Aſcenſionis *&* *Maldivari.* B. *Aves dictæ Rabos de Iuncos, aut Cauda Iuncina, eo quod habent longam & tenuem caudam Iunciformem: reperiuntur ſemper volantes 20. aut 30. miliarijs a dictis Inſulis, modo & magnitudine Columbæ, & omnino candidæ.* C. *Aves dictæ* Rabos forcados, *Cauda furcata, quia caudam habent forcipi Sartoris ſimilem, aperientem & claudentem: plærunque ſunt nigra, macula alba in pectore. Niſi mero volantes.* D. *Aves ſunt fulicæ ſimiles, excepto quod ſunt omnino variegatæ, circa littora ſæpius aquis inſidere videntur.* E. *Piſcis eſt Auratæ ſimlis, exiguas ſquamas habens.* F. *Albecores piſcis.* G. *Bonitus piſcis, hic plærunque invenitur ubi fluctus vigent.* H. *Piſcis volans.* I. *Trombæ ſunt fluctuantes circa Promontorium Bonæ Spei.*



non poteſt melior inveniri: ſuperat enim omnes piſces, qui aquas cum dulces, tum ſalſas frequentant. Habet exiguas ſquamas, & a capite ad caudam dorſum magnum pinna munitum. Turſio, Luſitanis Toninas, Gallis Marſovin, duplex eſt: alter roſtrum habet acutum, vt Porcus: quare a nonnullis Porcus marinus dicitur: alter habet roſtrum compreſſum, velut Lamia: & quia videtur cucullatus, Monachus marinus plærunque vocatur. Eius longitudo plærumque eſt 5. aut 6. pedum, caudam habet latiſſimam bifurcatam, & contrario modo poſitam, quam alij piſces habent, ſicut & Lamiæ & Ceti: cutem habent levem, diſſciſſus, Porco ſimilis eſt: laridum & carnem habet, iecur & reliqua inteſtina, immo & eodem modo generat. Nam cum ſclopo occidiſſemus valde magnum, & exenteraſſemus, pullum in eo invenimus, quem iterũ in mare proiecimus. Hi ſemper turmatim natant, & cum turget mare, circa naves viſuntur, & ingenti multitudine mare viride reddunt, efflantes & grunnientes, vt Porci: quod viſu iucundũ eſt, & naucleri ſibi providẽt contra futuram tempeſtatem, quæ ſepius mox ſuccedit, ex eadem qua veniunt regione. Cepimus plures galeos, a Luſitanis Turbarons, a Gallis Requiens dicti, qui frequenter vigente malacia apparent: hi ſegniter natant, cutem habent levem, ſemperque habent 7. aut 8. piſculos, *vulgo zuigers* dictos, qui magnitudine haleci æquales ſunt, aut minores, & capitis ſuperiorem partem compreſſam & rugoſam habent, qua Galeis adhærent, donec Galeus aliquid ceperit: quocum edunt natantes, ingredientes & enatantes Galei rictum, ſine ipſorum a Galeo offenſione. Nautæ cum natant optime a Galeo ſibi cavere debent, ſæpe enim evenit, vt ad fundum eos detrahat. Qui cum eſu ſit ingratus, nautæ animi gratia ipſum capiunt, & oculos effodiunt, aut caudæ alligant ligni fruſtum, iterumque mari commendant, qui tunc plurimum cruciatur.

Piſcium aliquorum deſcriptio.

Galeus eſu ingratus.

Aliud quoque Piſcium adeſt genus, quod Luſitani vocant *Peſce puerco*, Abramidis magnitudine, grunnit vt

Porcus

Porcus. In hoc mari magnæ reperiuntur Teſtudines, plærunque dormiendo, cum ſint ſomnolenti piſces, fluctuantes. Permagnæ, & eſu optimæ, ſapore carnem vitulinam referentes: & cum Sol calefecerit teſtam ſuperiorem, tunc ſupinæ fiunt, & nautæ quiete hamum inter ambas teſtas ponunt, & in ſcaphã attrahunt. Sed frequentius circa inſulas Heſperidum inveniuntur.

Lamiæ Turſionum more magna natant caterva, ſed frequenter lentius, niſi piſcem aliquem perſequantur: tunc enim ſat agiles & celeres ſunt, ſicut ſæpius vidimus: Ceto magnitudine paulo minores: nec tubulos habent in capite ad eijciendam aquam, vt Ceti.

Ad iter noſtrum redeuntes, ad Cæciam curſum dirigendo varijs cum ventis, maxime Orientalibus, Sundæ fretum petivimus: excepto quod Novilunij tempore, menſe Martio continuo quatuordecim dierum ſpatio, vento Occiduo vſi ſumus, vt dictũ eſt: & exiſtentes 70. miliaria ad Orientem Inſulæ *Brandaon*, invenimus Compaſſum nauticum duos tractus declinantem à Borea verſus Borrholybicum: tunc enim ſecundum conjecturam, omnia brevia tranſivimus, quæ charta marina noſtro in curſu depingit: nos equidem nulla percepimus, excepta quadã maris æſtuatione. Vidimus colubros multos fluctu ferri, & plures arbores.

Compaſſus nautici à Borea verſus Occidẽtem declinatio.

Die 4. Maij ipſo Interlunio valida orta eſt tempeſtas ex Borrholybico, tanta vt navigantes ſecundo vento, cuncta deducere vela cogebamur: & ſic æquali continuoque vento quatriduo vela fecimus ad Orientem & Meſocæciam: Die vero 27. navium gubernatores terram quærentes, quam non perceperunt, ac Promicondi conquerentes aquam dulcem plurimum decreviſſe, ſtatutum fuit, quod cuilibet daretur tantummodo portionis dimidium, ſcilicet quolibet die aquæ pinta ſive hemina: quare in navibus magna paſſa fuit ſitis, ob Solis æſtuantem calorem; & tanta, vt quandoque pro aquæ hauſtu, Regalis ex octo offerretur, nec potuit haberi. Pinaſſa aquæ paulũ habuit, cuius partem Leoni dedit.

Aquæ portio minoratur.

Die 3. Iunij, de inſolenti ſumptum fuit ſupplicium, qui ſclopis vitam terminavit. Vidimus tunc multas Gavias cinereas, & Caudas Iuncinas volantes. Die 5. terram cõſpeximus: quare plurimum gaviſi fuimus, ob ſitim graviſſimam, quæ in claſſe patiebatur: quam cum propius accederemus, inſulam eſſe vidimus, quæ miliaria 16. diſtat Sumatra inſula, vbi Poli Antarctici elevatio, eſt 5. graduum cum ſemiſſe: quod ſupra annotatum videri poteſt.

Supplicium ſumitur de inſolente.



Tractus eſt ad Ypocaciam & Meſafricum, continens 6. miliaria fere in longitudine: terra eſt humilis; eramus in profundo 20. Orgyiarum, & fundo arenoſo. Circa oram habet diverſas exiguas inſulas, & fluentia breviæ: fuitque ac ſi videres aliam duplicatam terram, die 6. Iunij. 1596.

Die 6. Iunij terram propius adnavigavimus, & nocte præcedente in primo quadrante, bolide fundum tentavimus, in gurgite 60. orgyiarum, glareoſum: In ſecundo quadrante 40. orgyiarum: in diurno vero quadrante 20. orgyiarum. Sub inſula 6. aut 7. *Canoas* conſpeximus, propius tamen accedere auſi non fuimus. Ideo Celocem viris munitam in terram miſimus, ad ipſos conveniendum, & quænam eſſet inſula inquirẽdum. Inſulas duas parvas vidimus ad Eurum maioris, retro quas, vt apparuit, bona erat navium ſtatio: & ad Africum aliam. Inſulani videntes noſtros adnavigare, ad terram remigabant, & Canoas in terrã traxerunt, quæ longæ & anguſtæ erant, cũ lateralibus ratibus. Nos alloqui noluerũt, qui 20. erant numero: mellini coloris ſunt vt Braſiliani, capillis prolixis ad humeros dependẽtibus. Multas habent ſagittas, & arcus; quare nõ audebamus in terrã deſcendere, nec ipſi nos appellere, non obſtante quod merces aliquas oſtendimus. Conſiderãtes igitur nos cum illis nihil negociari poſſe, ad claſſem reverſi ſumus: & vento incumbentes, valide ferebamur a fluctu verſus Borrhapeliotem; & noctu magis ad Borrhapeliotem & Aquilonem navigavimus, angulum ſuperantes, ad evitandum fluctum validum, qui ingens ab Auſtro deſcendit: & adeo pulſi fuimus ad Boream, quod mane ab inſula tria miliaria aberamus. Pinaſſam mane e conſpectu amiſimus, quæ interim quod verteremus & vela obliquaremus, curſum rectum navigavit. E Leone exoneratum fuit tormentum; & apluſtra vento commiſſa: ſed terram altam Sumatræ, & Pinaſſam ad Cæciam conſpicientes, mutato conſilio, quod erat verſus inſulam navigare, Pinaſſam appulimus, & alloquuti ſumus: & terram firmam fere acceſſiſſemus, quæ ab inſula diſtare poterat circa miliaria 16. erat terrã alta, & pluries malacias habuimus. Ad Orientem & Ypeurum curſum direximus, flante Aquilone; invenimuſque aquæ fluctum fretum intrare, quod vtrinque terram habuit valde altam, & ſecundum conjecturam, fretum erat in faucibus amplum, miliaria octodecim.

Inſulanorum conditio.

Sumatrã cõſpicitur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Delineationes vera Incolarum inſula Pugniatan, *ad fretum* Sundæ *ſite, ubi Polus Antarcticus gradus 5. cum ſemiſſe elevatur. Toti nudi incedunt: colore ſunt mellino, vt Braſiliani, capillos prolixos nutrientes. Pracipuum illorum exercitium, eſt quodam hamorum genere piſcari. Habent valde anguſtas Canoas, vix pedem largas, cum vtrinque laterali rate. Inſula eſt valde odorifera, cuius ſuavis odor a tribus miliarijs ſentiri poteſt. Quas habeant merces, nobis non conſtat. Habet tres alias inſulas in circuitu poſitas. Virum hic addimus Abyſſinum, ex incolis terra Ioannis Pretioſi, ad vacuum implendum. Æthiops eſt magnis labijs & oculis amplis. Boni ſunt mercatores, ſed meliores nauta.*



Delineatio ad vivum Oræ Sumatræ, & Inſularum quæ in freto ſunt ſitæ.

Ad Meſeurum. *Ad Ypeurum diſt. miliar. 2.* *Ad Notapeliotem diſt. 3. miliaria.* *Ad Meſeurum.*



Retro ad Borrholybicum & Occidentem, diverſæ & altæ erant terræ: & vela fecimus ſecundum terram miliari vno a litore, tranſeundo inter 1. & 2. Inſulam.

Ad Ypocaciam diſt. miliare 1. *Ad Caciam diſt. 1½ mil.* *Ad Meſocaciam diſt. ½ miliar.* *Ad Orientē paulo Borealior.* *Ad Ypeurum.*




Ad Me-



Obſcure diſt. 4. miliaria, terra firma apparens veſperi cum Solis Occaſu.




Continuatio terræ præcedentis.



Continuatio præcedentis.



Inſula ſemimiliare magna.



Sic viſa die 11. Iunij, in Solis ortu.



Continuatio præcedentis.



1. Terra firma Sumatræ extendebatur vlterius: & conſpeximus retro in circuitu, vſque ad Corum; nihil niſi terram, vnde veneramus: eratque hæc terra alta, a nobis diſtans 3. miliaria fere.
2. Hos montes potuimus videre vaporem emittere, & ſiti erant in freto, vt apparuit, ſed reperimus duas eſſe inſulas.
3. Inſula erat oblonga: inter quam & priorem nobis navigandum erat: ſed ab invicem diſtabant 3. miliaria. Hæc inſula a nobis aberat miliaria 3. fere.
4. Inſula erat ab alijs diſtans 3. miliaria fere.
5. Inſula erat diſtans miliaria 4. Inter hanc, & 7. Inſulam per validos fluxus, videbatur mare apertum eſſe, a reliquis ſeparata miliaria quinque, in quarum medio ſita erat.
6. A parte Borrholybica rupem habet, ad tractum arcus inde diſtantem, quæ ſub aquis poteſt ardens videri.
8. Tumulus eſt arenarius albus.

Prædictæ 1. & 3. Inſulæ, videbantur ab invicem diſtare miliaria 3. fere: Inter quas 1. & 3. venientes, profundum menſuravimus 17. 18. & 22. Orgyiarum, fundo contis apto, die 18. Iunij.



Adnavi-

Adnavigavimus terram A. vbi, vt apparuit, non erat oſtium; ſed appropinquantes, longe ſeparata erat ab inſula 8. Curſus nobis dirigendus erat ad Borrhapeliotem, ad ſuperandum terram 10. Sub veſperam vidimus ſub eadem terra 10. aut 12. vela, & anchoram fundo commiſimus, ſub dicta terra, die 22. Iunij, in gurgite 28. Orgyiarum, & fundo argilloſo.

B. Si ad Boreum inſulæ 8. navigaſſemus, parum deviaſſemus.

C. Hic erant vbique inſulæ terræ proximæ.





Die 11. Iunij venimus prope Inſulam Sumatræ, ubi veluti ad Oras Iavæ, multæ erant inſulæ: & anchoram poſuimus ſub inſula Sumatræ, in gurgite 25. orgyiarum, & fundo argilloſo, ad terram oblongam, cuius nomen nobis ignotum eſt; ſed apparet cum vicinis Inſulis, vt ſupra delineatum eſt: & primo invenimus profundum 33. orgyiarum, cum fundo contis apto. Celox navis Amſtelrodami Canoam perſequebatur, ſed conſequi non potuit. Sequenti die inſulam appulimus, quæ deſerta & non habitata erat, ac ſylvoſa, ad aquandum: ſed nullam aquam invenimus. Interim conſpeximus ex alta ſub terra Sumatræ, primo tria, deinde 9. vela, quorum vnum nos prætemavigando inſulam oblongam petijt, quod noſtra inſequuta eſt ſcapha, vt navigantes conveniret. Erant viri 16. quorum ſex remigabant, reliqui in tugurio ſedebant, quod in eorum Paraos ædificatum erat, veſtiti veſtimentis diverſorum colorum. Nō potuimus eos intelligere: noverant *Bantam & Iapara*, ſed *Sunda Calapa* illis ignota erat: iterumque reverſi ſunt ad terram altam vnde venerant. Quare deliberavimus Celoce & ſcapha viris munita, adire terram Sumatræ, vnde vela venire, & ad eandem redire conſpeximus; præſumentes pyratas fuiſſe, qui navibus inſidiabantur quæ à *Manancabo* Bantam navigabant. Pinaſſa 16. viris munita terram altam appulit, vbi aliquæ erant villæ, quarum primaria Dampin dicitur. In tranſcurſu ubique reperimus 20. 21. & 22. orgyias aquæ, & fundum arenoſum, veſperi anchoram fiximus in gurgite 18. orgyiarum. Audivimus incolas ſat clare loquentes, ſed neminem percepimus, nec naves ullas ante diem poſterum: tunc enim aquantés, certo in loco quatuor naves, & alio in loco tres & tres ſeparatim navigantes vidimus, quas Celoce adnivagimus: quæ nos conſpicientes mox ſe colligabant. Appulimus, & interrogavimus ubi aqua recens poſſet recuperari: Locum nobis oſtenderunt: nos vero metuentes ne nos deciperent, rogavimus vt nobiſcum Pinaſſam ad navigarent: & amice naviculas illorum intrantes, plura egregia nobis oſtenderunt: nempe Pugionem inauratum, quem *Crees* vocitant, & annulum aureū Adamante, vilis pretij munitum. Parvus enim erat & male politus: Hi primum nos plurimum metuentes, tormentum æneum, *Baſſa* dictum, præparabant, ſed animadvertentes nos oculos in illud inijcere, mox occultabant. Ad Pinaſſam remeavimus, ipſi vero *Canoa* nos ſunt ſequuti: nos rurſus vna cum illis ipſorum naviculas appulimus, & Orbiculos precarios rubeos & ceruleos, & Margatidettos piſcibus aliquot, Cæpis, alijſque fructibus nobis incognitis, Ananas, Melonibus aqueis, Arundinibus Saccharinis, Cocos, & Allio commutavimus, & ſimul cum illis terram firmam Sumatræ appulimus.

Naves aliquas cōſpicientes, remigando appulimus.

Negociatio cū ijſdem.

Deſcenſus in Inſulam Sumatræ, ad villam Dampin, & cum Dynaſta colloquium.

CAP. 15.

Deſcriptio aliquorum qui ſe repræſentaverunt.

NOs navigavimus ſimul cum Paraos, & venimus ubi 3. aut 4. *Canoæ* erant: in quibus erant certæ perſonæ, repræſentantes viros alicuius authoritatis, eleganter veſtitæ indumentis cæleſtini coloris ex panno lineo ſubtili, & Tiaris ex eodem. Hos interrogavimus vbinam aqua recens recuperari poſſet, quam nobis oſtenderunt, eis connavigantes per alveum ſalſum: venimuſque ubi domos 20. fere vidimus ruſtico more apprime ædificatas ex Palmarum ligno: & miſimus viros duos cum incolis, vt conſpicerent vbi aqua quærenda eſſet, quam invenerunt valide defluentem: ſed admodum locus erat periculoſus ad auferendum, cum Incolæ quid mali in animo haberent. Hic omnium primo vidimus Piper creſcere, arundinibus altis & groſſis, Lupuli modo ſe circumvolvens, & emimus quantum nobis adferebant. Habebant quoque Caryophyllorum ſpecimen, Nuces odoratas, Pepones & Cucumeres, ſed carnes nō potuimus conſequi. Adferebant & vinum Dactylicum ex Palmis depromptum. Mulieres ornatæ erant armillis ſpiſſioribus, & veſtitæ veſtimento ab vmbilico inferius dependente, & ſtrophio ubera operiente: capillos vero funiculo ligatos habent, vt videri poteſt. Nos equidem metuentes, quod aquæ refluxu Incolæ nos ſuperare poſſent, Pinaſſam adnavigavimus, quæ alio navigavit: & ad alias duas inſulas navigavimus aquam quærentes, ſed fruſtra. Deinde Pinaſſam appulerunt quatuor *Canoæ*, adferentes Gallinas, Oryzam, Caxas & Piper. Navigavi cum Celoce ad locum vbi naves vidimus, ad inquirendum ſi aqua ibi recuperari poſſet: appropinquans caſu fortuito exoneratur ſclopus; quare qui in *Paraos* erant perterrefacti, ſtoreas defenſionis dependens, tormentumque parvum æneum, vulgo *Baſſa* dictum, mox producunt, ſuis armaturis nobis valde minitātes, & cogitantes nos inimico animo ſclopum exoneraſſe: quod equidem videntes, Celoce terram petivimus. Sed eorum aliqui in terram deſcendentes, noluerunt nobis admittere in terram deſcenſum: & ne aliquis ſiniſter rumor diſcurreret, Celoce remeavimus eo, vnde digreſſi eramus, & alio in loco aquam quærentes, recuperare non licuit. Navem appulentes, *Almadias* ibi reperimus commutantes Regalibus 12. ex octo, Caxas: dātes pro ſingulo Regali 3500. Cexas, vt ſemper minutulos haberemus nummulos. Paraos mox ſummo maris æſtu remearunt. Noctu iterum navigavimus eo ubi *Paraos* erant, ſed aqua erat ſalſa. Pinaſſa vela tendit, & nos vna claſſem repetimus, vento e terra deſcendente: vbi & *Parao* appulerat, quæ noſtris aquam monſtravit in inſula oblonga. *Parao* nauclerus, obtulit in Bentam nos ducere, ſolvendo illi quod æquum erat, nempe pro navi ſingula Regales 5. ex 4. ſingulis, & nos aquatum ivimus. A Meridie Parao appulit, vt *Caxas* Regalibus commutaret, ſed remiſſus fuit. Noſter Bolidis gubernator nobiſcum manſit, qui duo vela nobis monſtravit *Bantam* venientia. Poſtero

Mulierum ornatus.

Inſulani deſcenſum noſtrorum in terram noluerunt admittere.

Offerunt noſtris, in Bantam eos conducere.

ſtero die, nempe 15. Iunij, aquatū ivimus, & aquam cymba attulimus. Niger Laurentianus, qui die dicto obijt, ſepultus fuit in poſtica parte inſula, aliudque velum *Bentam* redire vidimus. Retro inſulam, iuxta quam anchoram jecimus 4. aliæ aderant mediocres Inſulæ, & duo ſcopuli. Validus hac nocte flavit ventus e Borrholybico.

Die 16. Iunij anchoram levavimus, velaque fecimus ad Meſaquilonem, flante Borrolybico. Bis bolidem eiecimus in gurgire 22. orgyiarum, & fundo mœre arenoſo. Sed ſuperveniente malacia, anchoram demittere cogebamur, aliter fluctus vigore retro ducebamur, a fluctu, qui ex Oriente ad Occidentem defluxit. A Meridie valido

Ecce effigiem Præfecti Sumatræ, in villa Dampin, ſita ad ingreſſum freti Sanda: vbi die 12. Junij in terram deſcendimus, qui nos humaniter excepit, & liquibus fructubus donavit. Hoc in loco Piper creſcere vidimus: vir erat politicus, a ſubditis valde honoratus, ſuis ſatellitibus ſtipatus, habenſque ſecum mulieres, quæ illi ſerviebant. Multa nobis ſui retulerunt de Bentam, *ſed eos intelligere non potuimus. Aderat hic aqua dulcis, ſed cum difficultate haurienda. Hic emimus ſpecimen Piperis, quod illis reliquum erat. Gallinæ hic erant ſeminumidicæ, & ſemivulgares, mirabile viſu. Deinde Præfectus,* Parao *claſſem inviſit, vt nobiſcum negociaretur, ſed vela dantes, nihil actum fuit.*



ſpirante vento, navigavimus ad Ypaquilonem: & fretum extendit ſe inter longam & altam Inſulam, & oblongā, ad Orientem: ventus directe ex freto occurrebat: ideoque monitu noſtri bolidis gubernatoris, anchoram fundo commiſimus in gurgite 19. orgyiarum. Diverſas alias vidimus. *Paraos*, Bentam venientes; & nos anchoras eijcere coacti fuimus ſub inſulis, quia ventus adverſabatur: expectantes mane poſterum, donec ventus deſcenderet ex altiori terra Dampin: locus vbi cum Pinaſſa & Celoce inſulam *Sumatræ* appulimus! & in quadrante diurno vela dedimus, animadvertentes alios vt idem facerent, dirigentes curſum ad Cæciam, flante Borrholybico. Alias quoque naves vidimus, *Sumatram* navigare. Venimus iuxta altum viridantem ſcopulum, ad quem fere pellebamur: quare cum Celoce, remorum vi navis erat abducenda: quo ſuperato, curſum inſtituimus ad inſulas virides, quæ ex oppoſito altæ inſulæ exiſtentes, per fauces directe conſpeximus terram altam Iavæ. Navigavimus infra hunc ſcopulum ad eiectionem tormenti ex ferro fuſi, profundo 25. orgyiarum, flante vento altano, exiſtentibus reliquis navibus in gurgite 30. orgyiarum: & vidimus aliud velum contra Borrholybicum angulum inſulæ, Mons Salis dictæ: quæ in meditullio habet montem excelſum, mediocriter longum. Inter hanc & oblongam inſulant, alia eſt peralta inſula, habens in montis vertice fiſſuram, quæ duos format vertices, at non eſt adeo magna: Diverſæ naves Sumatram petentes.

ſed cum ſemper a Meridie ventus ex Oriente ſpiret, iterum anchoram ſolvimus in gurgite 15. orgyiarum, & fundo anchoris commodiſſimo, in ſequẽtem diem. Adhuc velis tenſis nos appulit *Paraos* terræ firmæ Sumatræ, adferens *Cocos, Bettele & Areca* cum Calce, & paucas Bannanas. Erat Paraos gubeibernatoris bolidis. Duo ex 14. qui in ea erant, noſtrã navem conſcenderunt, illique reverentiam exhibuerunt, viri pedem ſiniſtrũ manu accipientes, ab inferiori parte ad genna vſque demulcebant: deinde manibus faciem eius demulcebant ad verticem capitis. Hac nocte pluvioſa fuit aura. Die 18. Iunij, cõſpeximus diverſis in locis ſeptem naves: duæ nos appulerunt, quarũ altera erat *Paraos* noſtri gubernatoris bolidis. In altera erat vir gravis, veſtitus panno ſubtili Goſſypino filo aureo intexto: venale habuit plurimũ *Bettele* & *Areca*, & Cocos aliquot, quæ panni linei parte permutavit: ſed recedẽdo, furto camiſia & alia ex pãno lineo ſubducta fuerunt. In freti faucibus bolide profundum menſurati ſumus 25. orgyiarum: fluctus validi ad Occidentem cadebant, nos vero ad Ypeurum navigavimus, flante Borea. Veſperi anchoram poſuimus in gurgite 28. orgyiarum. Eodem veſperi permultas vidimus Veſpertiliones, magnitudine Gallinæ, qua de re plurimum mirabamur.

Appellendi modus, & reverentia quam exhibuerunt.

Veſpertiliones magnæ vt Gallinæ.

Die 19. Iunij, prænavigando oppidulum quoddam, claſſem appulerunt plures *Paraos* ex Inſula Sumatra, quarum aliquæ velis navigabant: adferentes Cocos, Piperis parum, Caryophyllos, Nuces odoratas, Bannanas, Gallinas aliquot, & Aurantia mala, quæ cultris commutata fuerunt. Interrogabant an veniremus *Goa*, aut *Cochin*, & *Bantam* navigaremus: & parum progreſſi iterum anchoram commiſimus fundo, in gurgite 27. orgyiarum. Fluctus adverſabatur, ventus invalidus, & ad Notapeliotem 3. miliaria fere navigati eramus. Sequenti die, vento omnino ſilente, ibi manſimus: ſed perendie flante Africo anchoras levavimus, & curſum inſtituimus ad Ypeurum: ſed ob malaciam iterum anchoram commiſimus profundo 22. orgyiarum, alij 30. orgyiarum. Poſt meridiem iterum vela fecimus, & diverſas vidimus naves.

Certorum fructuum deſcriptio.

Quo ad fructus quos in *Sumatra* creſcentes vidimus, hi ſunt: Cocos aut Palma Indica, vniverſæ Indiæ cõmunis: ſed quia ipſam primo in Sumatra vidimus, de ea primum erit ſermo. Quadruplex eſt Palma: quarũ prima, eſt quæ Cocos & Nuces Indicas profert. hæc omnium, quæ in Vniverſo ſunt, vtiliſſima, magiſque neceſſaria eſt arbor: nã poſt *Bannanas* aut ficum, præcipuum Indorum nutrimentum profert. Reddit enim Oleum, Vinum, Lac, Saccharum, & Acetum. Cortices loco catini inſerviunt ad edendum: lignum navibus fabricandis confert: interior cortex funibus torquendis; & frondes ad domos tegendas conducunt, adeo vt nihil ex ea pereat, ſed quidquid habet, hominis vſui inſervit: immo radices carbonibus cõficiendis ſerviunt in vſum Aurifabrorum; cui rei propriæ ſunt. Sed cum plures de hac arbore multa ſcripſerint, Lectorem ad eorum ſcripta relegamus.

Altera ſpecies, Luſitanis *Arrecquero* dicitur: de qua poſt tractabimus.

Tertia eſt *Tamar*, quæ dactylos profert; eſtque frequens in Mauritania Tingitana: & copioſiſſima in inſula *Zerbi*.

Quarta, Malaica lingua dicitur *Lantor*: hæc exiguum profert fructum, magnitudine Ceraſi, elegantis aurantij coloris; magnum habet nucleum, quem *Carros* nominant, ſitque ex fructu egregium Oleum Auraicum, aliquatenus ſpiſſum, & ſanitati percommodum, & ijs manducabile, qui conſueti ſunt. Aiunt hanc ſemellam eſſe primæ ſpeciei: vtramque habet Guinea. Poſterior hæc, eſt ex qua fit papyrus, in qua ſcribũt, & ex qua libros faciunt. Nam etſi omnes 4. ſpecies, folia habeant ſimilia, in forma Arundinum, vt ſunt quæ ex Syria & Paleſtina huc adferuntur a peregrinis; ſunt tamen huius ſpeciei folia, ad ſcribendum commodiora. Producit quoque hæc terra *Bannanas*, aut ficus Indicas, magna copia, quæ, vt dictum eſt, præcipuum nutrimentum vulgi proferunt. Fructus ſunt pergrati, ſed ſtomacho adverſantes. Lingua Malaica, *Picau* dicitur. Fructus iſte non ſolum vniverſæ Indiæ Orientali, ſed omnibus fere regionibus inter vtroſque Tropicos, communis eſt: optimos tamen invenimus in Inſula Madagaſcar: Manducantur crudi & cocti; ſiccati tanquam merces alio transferuntur. Per integrum annum creſcunt, ſimul congeſti, vt hic videre licet: quælibet arbor vnicum dans fructum: quo amputato, novos ſurculos edit, qui menſis ſpacio iterum fructum præbent. Mollis eſt arbor vt Arundo, quę cultro vnica vice perſcindi poteſt. Folia plærunque profert vnius orgyiæ, aut longiora; aut hominis longitudini æqualia, & magnum pedem larga, vnico nervo folium percurrente.

Piper rotũdum quomodo creſcat.

Piper quibus in locis creſcat.

Piper nigrũ & rotundum hoc modo creſcit: circumvolvens ſe arundini longæ & groſſæ, quæ a Luſitanis *Bambu*, & Malaica lingua *Mambu* dicta eſt, in qua creſcit *Tabaxir*, quod in Perſia Argento æque ponderatur: nos tamen plures diſſcindimus, ſed nullum in eis invenimus Tabaxir. Piper Lupuli modo ſe circumvolvit: nam viticulos habet nimis debiles, vt ſine ſuſtentaculo aſſurgant, editque ramulos vt Ribes; manet viride donec matureſcit & exiccatur, tunc enim nigreſcit. Loci in quibus creſcit, ſunt: *Malabar, Onor, Barſſelor, Calicut, Cranganor, Cochin, Coulan*, & Malabarica lingua *Molang* dicitur. Creſcit quoque in *Queda*, & Malaica lingua *Lada* vocatur. Transvehitur hoc maxime in *Pegu*, & regiones Boreales. Simili modo creſcit in *Pedir, Camper, Andragiri, Iambe Baros, Speriamon, Dampin*, locis in Sumatra ſitis: nec non in Iava, ſcilicet in Bentam: & in Occidentali regione Iavæ: ſcilicet, *Anier, Chuconin, Molaſſery, Changabaya, Cherola, Charita, Cheregin, Labuan, Buama, Iſſebongor, Pariban*, & in loco diſtante miliaria 4. ad Orientem *Bantam*, dicto Punctam, quod ſecundo flumine a poſtica parte *Bentam* deſcendit: Piper, vocatur in Iava, Sahang: hoc enim præcipue in Sinarum regionem tranſvehitur. Creſcit & ibi radix Zingiberi fere ſimilis, diciturq; Latine Crocus Indicus; Malaice, *Cunher*, a Luſitanis *Zaffran de terra*: quæ interius

tota

tota eſt crocea, & nodoſa, facile frangens, Iridis modo creſcens, editque Lilia alba: eſt valde aquoſa: cum dentibus manditur, primo nulla ſentitur acrimonia, ſed paulo poſt in ore multa acrimonia percipitur. Huius radicis nō exiguam emimus partem in Sinu magno Inſulæ *Madagaſcar*, quæ adferebatur e villa in parte Inſulæ Occidentali ſita. Abundat quoque in *Iava*, & alijs Indiæ locis.

Effigies Cocos aut Nucis Indicæ, quæ omnibus regionibus Indiæ Orientalis communis eſt, & copioſa, & Indis commodiſſima. B. Bannanas, *aut ficus Indica: quæ præcipuum nutrimentum profert Indorum.* C. *Piper eſt, arundinis longa & groſſa ſe circumvolvens, Malaica lingua* Bambu *dicta.* D. *Crocus Indicus, creſcens cum ſuo flore, & pluribus locis Indiæ communis.*



Acceſſus noſter ad Portum Sundæ, *& quæ occurrerunt.*

CAP. 16.

LEnto gradu navigantes, cum ob adverſantes fluctus, tum venti inſtabilitatem, qui à media nocte, in horam
decimam ante meridianam Subſolanus, & deinde in veſperam Occidentalis erat, & nos magno impedi-
mento affecit in freto pernavigando, die 22. Iunij Portum *Bentam* & *Sunda* oras appulimus, ante nos con- Anno 1598.
ſpicientes inſulam humilem, viridem & pulcram, a Iavanis *Palo Paian* dictam; quod idem eſt ac Inſula oblonga. Die 22. Iunij.
Ad Boream eiuſdem, vela parva vidimus numero fere 70. quæ a longe ſylvam referebant: attamen vt nobis relatum fuit, piſcatorum naves fuerunt: quæ ſatis ſignificabant, civitatem *Bantam* eſſe populoſiſſimam. In ſinu quo-
dam regionis Iavæ, vidimus navem Iavanam, vulgo *Ionca* dictam, habentem antennam, malum magnum, Epi- Ionca navis
dromi malum, & Siparum, Epidromum magnum & parvum extenſum: quæ onerum fere 16. erat: cuius Canoa eſt Iavana.
nos adnavigavit: ſed quid interrogaverat, intelligere non potuimus, quare rurſus ad *Ioncā* remeavit, & cū Luſitanicæ linguæ perito nos iterū appulit, qui nos interrogabat, vnde veneramus. Sed cū peteremus vt navem intraret, ad *Ioncā* redijt: quæ mox vela faciens, angulum certum adnavigavit & ſuperavit, ubi e conſpectu eam amiſimus. In meridie habuimus orgyias 34. deinde 24. & poſt horam ſecundam pomeridianam orgyias 10. adeo cito habuimus

buimus minorē altitudinē, quæ paulo poſt tantummodo 8. orgyiarū erat, fuitque minimū profundū orgyiarum 7: mox que maior ſubſequebatur altitudo. Terra firma alta Iavæ nobis erat ad latus velo oppoſitū, & *Pulo paian* ad latus veli, cum qua ad ortum & Occaſum exiſtentes, profundum habuimus 10. orgyiarum. Tunc Orientaliores erant certæ inſulæ humiles, directe ante vrbem *Bantam*, quo cuncta dirigebantur v[illegible] flavit ventus altanus Borrhapeliotes, noſque pro arbitrio gubernatoris bolidis, navigavimus ad Ypophœnicem. Sub veſperam nos appulit *Paraos*, in qua ſex Luſitani cum ſervis eorum: nobis declarabant ad nos miſſos eſſe ex parte Gubernatoris, qui vna cum omni[illegible]s incolis nos plurimum metuebat: interrogantes vnde veneramus. Reſpondimus nos Hollandia veniſſe vt cum incolis amice negociaremur, & merces noſtras aromatibus & ſpeciebus commutaremus. Replicuerunt illi, nos verum locum adſequutos fuiſſe, ſed tempore non opportuno: nam iam quinque dies elapſi erant, quod quinque *Sommas* (quæ ſunt naves Sinenſes) Sinam miſerint: & illa quam mane vidimus, quærebat quod oneraret ſecundum oram navigans: amicitiam nobis magnam monſtrabant. Cū nos ſedulo de Rege inquireremus, reſponderunt ad vrbem *Palinibau* Sumatræ rebellem, occubuiſſe cum multis ex ſuis, tunc quidem, cum maiorem vrbis partem expugnaſſet, quam Rege mortuo, dereliquerunt ſui. Cum Sumatram navigarent plura quam bis centum vela habuerunt, ita quod præ ingenti hominum multitudine, plurimi fame perierint. Præterea Regem reliquiſſe vnicum quem habuit filium quinque menſium, Regni hæredem: & Incolas in Gubernatorem elegiſſe patrem vnius ex vxoribus Regis, ætatis medioctis, *Chepate* nominatum. Inter hos Luſitanos erant, vt dixerant, qui in navi Thomæ Candiſch fuiſſent, cum *Ternare* eſſet. Narrabant quoque deſtructionem & turbationem quam navarchus Lancaſter excitavit, exiſtens in freto Malaccano, inter naves Luſitanas & Indicas, quarum rerum ignorantes nos ſimulavimus, & eo nos tantummodo veniſſe ad emendum & ſolvendum. Obnixe nos rogabant ne nos declararemus miſſos a Donno Antonio, vt inter illos nulla oriretur diſſenſio & ſeditio, quæ haud dubio per exules moveretur, qui habitant in Pegu, Bengala, Ternaſſerin, Martaban, ad oras Choromandel, & brevi in tota India Orientali, ad ſuſtinendam eorum factionem: quorum fautorum numerus mox accreſceret: ſed illis non eſt fidendum, qui vt exilio ſolverentur, facile proditionem aliquam procurarent.

Certi Luſitani claſſem appellunt, inquirentes vnde veneramus.

Gubernatori per Luſitanos, omnem amicitiam, omneque officium obtulimus: qui poſt ſimulatam amicitiam diſcedentes, vrbem adnavigarunt, & Gubernatori cuncta quæ occurrerunt, narrati ſunt.

Die 24. Iunij inſulam propius acceſſimus, anchoram ſolventes in profundo 7. orgyiarum, ad inſulam *Pulo panian*: aderatque nobis ad Notolybicum alia humilis viridans Inſula, retro quam fluviolus effluebat: & hic ad anchoram manſimus: gubernator bolidis vrbem Bantam adnavigavit, vnde 2. miliaria aberamus. Architalaſſus *Tomongon Angabaya* noſtram claſſem appulit, cum interprete, nobis offerens omnem favorem, & refocillantia quæcunque tum nomine Gubernatoris, tum proprio, & quidquid in Gubernatoris poteſtate eſſet: requirens vt vrbem adnavigaremus: nos illi ſummas gratias viciſſim agentes, diximus ſi navem noſtram vellet conſcendere, rem nobis gratiſſimam ſe facturum. Panis biſcocti parum petijt, illique datum fuit; aſcenſum excuſavit, eo quod, vt ait, quid negocij habebat in inſula oblonga; attamen vrbem repetere vidimus, & inſulā minime adnavigaret ſed recedendo duas promiſit vaccas, quas nunquam vidimus. Paulo poſt iudex Regiorum vectigalium, *Sabandar* dictus appulit, vna cum Luſitanis, qui Regis & Conſilij nomine, omnem favorem obtulit, quacunque in re poſſet: nobis adferens Gallinas plurimas, Capras, & fructus, & quidquid nobis neceſſarium foret, daretur. Ait nos opportune adveniſſe, & Piperis egregiam meſſem pro foribus eſſe, duplicemque proventum: qui recedens, ante meridiem ad vrbem remeavit: Luſitani vero apud nos pranſi ſunt, nos admonentes, vt a Iavanis nobis caveremus. Magna quoque multitudo Iavanorū, aliæque nationes, nempe Turci, Sinenſes, Bengali, Arabes, Perſæ, Guſarates & alij innumeri fere appulerunt, qui omnes Hiſpanico vino exhilarati fuerunt, Cumque veſperi recederent, honoris ergo duo tormenta exonerata fuerunt.

Nomine Gubernatoris omnis offertur favor.

Die poſtero *Tomongan Angabaya* & *Sabandar* rurſus appulerunt, offerentes nomine Gubernatoris & proprio, quidquid nobis opus eſſe poſſet; petentes ne Luſitanis fideremus, qui noſtro honori & famæ detrahere conabantur: & ſummos ſimulatores dixerunt, quorum intentio nunquam ſcrutari poſſet, & nobis nihil timendum, & portum omnibus mercatoribus liberum eſſe: promittentes, vt in aromatum emptione omnibus præponeremur. Quæſiverunt merces aliquas videre, quod factum fuit, illos donantes vlnis octo Caffæ viridis. Deinde venit Gubernatoris nomine niger natione Quillinus, vulgariter *Quillini Panian* dictus, aut Quillinus longus, proponens nobis, quod vniverſum regnum a nobis requireret favorem, vt adnavigaremus Palinbam Sumatræ, & mari tormentis oppugnaremus; interim ipſi terra vrbem accederent, ad expugnandum: offerens nobis quidquid in vrbe inveniretur: quod nos recuſavimus, dicentes nos veniſſe ad negociandum, non ad militandum; qui reſponſo accepto, ad vrbem remeavit, priuſquam duo prædicti appulerant, qui optabant videre noſtras tabulas Hydrographicas, in quibus ipſis oſtendimus, quam longa navigatione veniſſemus ad contrahendum cum ipſis amicitiam, & negociandum; quod plurimum illis placuit, præſertim cum intelligerēt nos ſemeſtri ſpacio poſſe redire, qui totis 14. menſibus iter quærentes navigaſſemus: ſicque a nobis receſſerunt.

Quid vniverſum regnum a noſtris petijt.

Die 26. Iunij, diverſæ nationes nos appulerunt, quibus cum amice egimus, requirentes ne Luſitanis fideremus. Aliquas merces illis oſtendimus, quæ plurimum placebant. Scapham viris munitam miſimus ad Iavæ partem Occiduam, ad Occidentem 4. miliaria diſtantem *Pulo panian*, vbi villula erat, ad comparandum Oves aut Bo-

veſ:at cum omnes eſſent ſervi, non poterant vendere: ſed tria parva ſpecula Norimbergica commutavimus magna olla *Indigo* humido plena. Interim navem Mauritium appulit vir magnæ autoritatis (vt videbatur) cui oſtendimus chartam noſtram Hydrographicam qui ... e ad vrbem remeavit; ſed, vt poſtea intelleximus vir nullius momenti erat, a Luſitanis ſubornatus, ad explorandum. Sinenſes varijs mercibus claſſem appulerunt, nempe vaſis Porcelanijs, rebus ex Serico factis, Serico, alijſve rebus. Navium gubernatores profundius navigarunt, vt vrbem accederent, & ipſo meridie vento altano navigavimus retro quinque parvas inſulas, ubi anchoram ſolvimus in gurgite 4. & 6. orgyiarum, & fundo argilloſo. A ſecunda inſula parva deſcendit ſcopulus lapideus ſe extendens ad Africum, & Cæciam, eſtque apparens, formam Torſionis referens, a quo cavẽdum eſt. Nauigando habuimus a 3. ad 5. aquæ orgyias cum fundo lutoſo: parvas inſulas noli nimium appropinquare, latent ibi lapides & ſcopuli: quare ſecurius eſt, & præſtat ſequi Oras Iavæ, vbi ſex orgyiarum altitudo habetur, niſi ab omnibus parvis inſulis altum peteretur, vbi 8. orgyiarum profundo frueris, & fundo arenoſo, qua noſter Gubernator navis lubenter nauigaſſet.

[illegible] bis a [illegible] nis cavet, iũ indicant.

Luſitanorũ exploratio.

Ipſo meridie obijt Bernardus Heynie, quem cum noſtri acceſſum ad inſulas reperire non poterãt, inter inſulas fundo commiſerunt, eoque nomine has inſulas, Berels, ſive Bernardi inſulas nominavimus; ſicuti Inſula oblonga, nomine Hermanni noſtri Tonſoris, aut Chirurgi primarij, Hermanni inſulam nominavimus.

Anno 1596. die 26. Iunij.

Die 27. Iunij mane multæ Paraos claſſem appulerunt, nec non *Sabandar*, qui magna inſtantia requiſivit, quod in terram deſcendẽdo, ſalutaremus Proregem, & aliquo munere, pro veteri more, donaretur, noſtri regis nomine: in ſignum pacis & confœderationis: in quem finem quatuor claſſiarij ex primarijs miſſi fuerunt, qui munere vaſorum Criſtallinorum, ſpeculo inaurato, & Coccineo panno ipſum donarent, quos dictus Quillin Panian comitabatur. Portum accedentes, ſummum maris receſſum invenerunt, totumque aqua privatum, quod in maiore maris æſtu, profundo 8. pedum gaudere debuit, prout pali indicabant. In ipſo ingreſſu occurrerunt Luſitani, & facta ſimulata ſalutatione, ab invicem ſeparati ſunt: deinde occurrit illis Sabandar, qui ad Proregis palatium eos duxit: ſed cum pranderet, in atrio expectabant, vbi tormentum æneum erat, habens duplicis ſpithamæ ſpatio ab ore, quinque mala Punica, magnitudinis fabæ: ad erant & quinque alia, vulgo *Baſſen* dicta, & unũ quod vulgo *Mortier* dicitur: vbi & pelves multi pendebant. Prorex paulo poſt eo venit, ipſique prædicta obtulerunt, interrogantes an placeret noſtros inviſere dominos, ad conveniendum de quadam firma confederatione: quibus per interpretem reſponſum fuit, quod ſuper ea re deliberaret: & iſtinc ædes Sabandar acceſſerunt, qui nonnullas confectiones ipſis appoſuit, & veſperi ad claſſem reverſi ſunt. Die ſequenti cuncta tormenta parata poſuimus, accepto nuntio de Proregis adventu, qua de cauſa quæque ſuo loco optime repoſita fuerunt, ad ipſum honorifice excipiendum. Acceſſerunt nos quoque diverſi proceres, nec non mercatores Perſæ, *Garacone*, pluresque alij, qui nos honoraverunt egregia aqua Cinnamomi, & vino ardente. Venales quoque adferebantur plures fructus, nempe Raphani, Cæpæ, Allium &c. Multæ naves Indicæ aderant, quas Iuncas nominant, & indies plures ex diverſis regionibus appulerunt. Ad Phœnicem noſtri fluviolum conſpeximus, quem plures Paraos egredi & ingredi vidimus, adferentes omnimoda cibaria.

Munera Proregi offerenda.

Luſitanorũ ſimulata amicitia.

Diverſi proceres claſſem viſitant.

De Proregis ad claſſem acceſſu, & quid evenerit.

CAP. 17.

Die 26. Iunij, ſummo mane, ordinatus fui cum diverſis claſſiarijs primarijs ad occurrendum Proregi, ipſumque ſalutandum, & ipſi declarandum, quod Claſſis Legati magno deſiderio ipſum exſpectabant, requirentes ne aliqui modo omitteret claſſem appellere: & ſi difficultatem aliquam ea in re moveret, quod meipſum obſidem offerrem, donec rediret. Vrbem appropinquantes (quæ ſecundum litus ſe in longum extendit ſuis cum propugnaculis & mœnijs, atque tormentis appoſitis) occurrit Proregis interpres, incola S. Thomæ in *Maliaput* (civitas ſita ad oram *Choromandel*) nomine *Quillin Paian*, vt prædictum eſt: indicans Proregem expectare ad Portum, Navarchum, & requirere vt Navarchus eo veniret ipſum quærere: quare nos ad claſſem remeavimus, vt Navarcho in noſtra Celoce exiſtente, Proregi occurreremus: quod & factum fuit, miſimuſque Phaſelũ vulgo *Balaon*, ad ſignificandum Proregi noſtrum adventum: interim Celocem acceſſit *Sabandar*, requirens vt in terram deſcenderemus, offerens ſeipſum obſidem; quod illi denegatum fuit, eo quod in terram deſcendere non licuit, donec inter illos & nos firma eſſet confœderatio. Luſitani nos quoque venerunt ſalutare, nobis quodcunque poſſent offerentes. Tandem Prorex 16. magnis *Paraos* portum enavigavit, cui Navarchus ſe adiunxit, & ipſius Parao eſt ingreſſus, colloquẽtes de conditione Provinciarũ Germaniæ inferioris, quot naves poſſent ibi ſingulis annis armari, quot claſſiarij, quot mẽſibus in proximo itinere eſſemus, ad iter noſtrũ perficiendum: præcipue vero an in animo nobis eſſet pluries eo venire. Sic colloquentes, claſſem appulerunt: vbi Prorex a reliquis Legatis honorifice exceptus fuit, cum omnibus ſuis nobilibus, & ſequela. Sed cum illi obtulerunt ingreſſum cænaculi, ſive Cahutæ, expaveſcebat, totuſque tremebat; nam putabat in carcerem duci: & vere factum erat audax & inconſideratum, quod ipſe Prorex exiſtens, ſe ipſum in poteſtate exterorum incognitorum, & illorum claſſe, vna cum

Anno 1596.

Proregis petitio.

Colloquium Proregis & Navarchi.

Prorex navẽ conſcendit.

Proregis imprudentia. cum nobilioribus daret: qui tandem, monitus a *Sabandar* & *Tomongon*, intravit: & poſt multa egregia nobis oblata atque propoſita, dixerunt quod nemo poſſet emere & avehere aromata aliqua, priuſquam oneraſſemus quæ nobis ſufficerent. Cupiebat noſtras videre merces, quarum aliquæ illi monſtratæ ſunt, nempe, Holoſerica aliqua, & pannus Coccineus: quorum aliqua ſecum deferre volebat, tandem panno coccineo donatus fuit, & poſt Holoſericum viride illi miſſum fuit. Navem noſtram a ſummo ad infimum viſitavit, requirens vt in eius receſſu cuncta tormenta eiacularentur, quod factum fuit per totam claſſim, attamen non omnia tormenta: quod vt videret *Sabandar*, in navi remanſerat, qui & tunc receſſit. Poſtero die cum aliquibus ex primarijs claſſarijs terram appuli, & vrbem ingreſſus ſum, vt emerem ea quæ in claſſe neceſſaria erant,

Anno 1596 1. Iulij. Die primo Iulij Cornelius Houtmannus comitatus novem ex primarijs claſſiarijs in terram deſcendit, vbi honorifice, eorum more, a Prorege & Proceribus præcipuis excepti fuerunt, & oſtenderunt literas patentes, & Literæ patentes Comitis Mauritij oſtẽſæ. Commiſſiones Comitis Mauritij, nobis traditas, vt firmum Pacis & fœderis pactum cum ipſis ad negociandum concluderemus, ſicut reliqui mercatores, quæ Luſitanica lingua & Arabica deſcriptæ, diligentiſſime prælegebantur: requirentes autographum eorum proprium ad maiorem ſecuritatem: ſicque receſſerunt, & veſperi ad claſſem reverſi ſunt. Eodem veſperi venit *Bantam* magnus Dominus quem Luſitani Imperatorem nominarunt, quia Adventus Imperatoris in *Bantam*. eius pater abſolute imperaſſet omnibus fere Regibus Iavæ, qui hunc pro ipſorum Principe agnoſcere noluerunt: eo quod multo tempore in *Malacca* habitaſſet, & Luſitanis plurimum addictus eſſet, metuentes ipſo mediante Luſitanis ſubdi poſſe. Nihilominus vbique optime recipiebatur: immo ipſi Reges ipſum iunctis manibus, veluti

Portus civitatis Bantam, Sunda dictus, cuius partes literis Alphabeti notantur. A. *Civitas* Bantam. B. *Inſula* Pulo Paian, *pro qua Luſitani obtulerunt: 20000. Cruciatos, ſed Iavani vendere noluerunt: quia ſciunt quod qui Inſula huius dominus eſt, non ſolum civitati dominatur, ſed & inſulis Orientalibus.* C. *Scopulus eſt qui maris refluxu, totus ex aquis eminet.* D. *Quinque ſunt inſulæ parvæ, poſt quas ad anchoram poſiti eramus: a Iavanis dictæ* Pulo lima. E. *Duæ parvæ inſulæ, arboribus Coccoferis, alyſque fructiferis plantatæ: ad quas Pinaſſa pugnabat cum Beremibot,* Pula dua *dictæ.* F. *Angulus occiduus terræ, retro quem villa Amor ſita eſt: habetque ante Fluvium exiguam inſulam.* G. *Duo ſunt ſcopuli.* H. *Duæ Inſulæ ſunt.* I. *Alta eſt inſula, hortis & fructibus plena, ſed aqua carens.* K. *Alia inſula oblonga, hortis plena.* L. *Tertia inſula, ubi plerunque navicula præſidiaria, noctu excubias agunt, cum aliqua difficultas eſt ad Oras.* M. *Angulus Orientalis portus Bantam.* N. *Fluviolus eſt extra* Bantam. O. *Alius fluviolus aquæ dulcis.*



servi

ſervi heros & Dominos,alloquuntur.Hic die 2.Iulij navem Mauritium appulit,cum ambobus filijs,& aliquibus Luſitanis:totam navem viſitabant explorantes, ſicut & alias duas naves magnas,magna nobis pollicentes. Veſtitus erat panno Goſſypino ſubtili,auro contexto: eiuſque filius,auream Bullam habuit Ovalem, gemma munitam, in ſuo cingulo: iterumque in vrbem redierunt. Poſtero die Cornelius Houtmannus cum nonnullis ex primarijs claſſiarijs iterum terram petijt, requirens confœderationis confirmationem, quam in prima inſtantia Proregi propoſuit:in quem finem aliquot articulos concepimus,qui a Prorege ſubſignati fuerunt,& iureiurando confirmati,nempe hoc modo.Quod vtrinque mutuo fideles eſſent,& ſi quis alter vtrum opprimere vellet,vt illi coniunctis viribus tanquam inimico communi reſiſterent, & fugarent.

Imperator appellit navim Mauritiũ, & eius veſtes.

Articulus fœderis.

In itinere obviam illis factus eſt Imperator, qui eos in ſuum duxit Palatium, quod extra vrbem erat,nã in civitate non potuit pernoctare: Vbi illis prandiculum ex aliquibus fructubus Iavanis & Conſervis fecit. Cumque Luſitani eo in loco ſe noſtros declararunt amicos,coniunctim civitatem ſunt ingreſſi,vbi Luſitani noſtros rogabant,vt dignarentur ædes ipſorum accedere,quod factum fuit: & ingreſſi convivium opiparum paratum invenerunt,vbi laute tractati,ſub veſperam ad claſſem reverſi ſunt.

Quotidie multi proceres appulerunt claſſem ad aliquid obtinendum: ſimiliter & mercatores habentes Piper venale,ſed non videbatur hoc tempore conſultum comparare Piper, & Piper novum expectandum eſſe.

Die 5.appulit noctu *Quillin Panian*,nobis ſignificans nomine Proregis,vt nobis caveremus: nam Imperator quem illorum lingua *Raia d'Auria* nominant, ſub prætextu inviſendi,nos opprimere decreverat: quodque Luſitani eum corrupiſſent: quare conſultatum fuit,& quilibet admonitus vt ſe paratum haberet: & omnia tormenta glandibus onerata fuerunt die adhuc lucente, armaturæ vaſa aperta,& ſingulis ſua arma diſtributa, vt ſe defenderent.A meridie ſecundo,nomine Proregis,admoniti fuimus,magnum in vrbe murmur obortum inter incolas,vt nos oppugnarent,ſed aliqui nolebant conſentire: nos interim ſimulavimus non admonitos alicuius rei fuiſſe. Virũ in terram miſimus,ficto nuncio, vt ædes *Sabandar* accederet,qui ibi vidit 60.ſclopos paratos:qua de re territus fuit; quod animadvertens Sabandar,ait ibi paratos,ad pellendum Imperatorem ex civitate: qui multos adhærentes cum ſibi conciliaſſet, metuebant ne vrbis dominium ſibi vendicare vellet: & quod nobis caveremus. Nam Imperator omnes ſollicitavit nobiles,vt ſibi mutuo darent viros ſuos, ad complendum quæ in animo habebat: & ſicut ipſimet non potuerunt denegare,ipſi vna cum eo venirent: ſed ſignum darent,& extra tormenti iactum manerent. Imperator enim maximis Luſitanorum promiſſis corruptus,& ſpolium navium ditiſſimum deſiderans, omnino decreverat nos obruere.Sed cum dubitaret nos commonefactos, aliud ſtratagema excogitavit,declarans magnum præparaſſe convivium, & requirens vt omnes Navarchi, Naucleri, Gubernatores, Claſſiarij primarij, Officiales, Buccinatores, & Muſici, ibi ſe invenirent, vt omnes coniunctim amice exhylarare poſſent,quod die 8.Iulij eſſet paratum.

Proregis commonefactio.

Imperator convivium conatur proditoriè parare.

Die 7.iterum duo primarij claſſiarij in terram miſſi ſunt,vt Proregem & Imperatorem privatim convenirent, & monerent ne quid in claſſem attentare vellent: noſque ſatis proviſos eſſe dicerent, & præter ingens damnum & dedecus eos nihil conſecuturos: quodque Luſitanis nullam adhiberent fidem, qui ipſis conſuluerunt ob proprium commodum, vt nulla alia natio illarum regionum ibi negociari poſſet, calumniantes nos pyratas,aut Anglos eſſe, qui omnibus ſunt odio,eo quod iam tribus annis elapſis hic peſſime egerunt: brevi eos rogantes vt pro bono Reipublicæ, omnem ſuſpitionem quam inique de nobis conceperunt,ex animo pellerent, & intelligerent ad negotiationem firmam nobiſcum,qui eo venimus,ad honeſtam negociationem exercendam. Imperator excuſavit ſe, quaſi omnium inſcius eſſet: cui Claſſiarij miſſi reſponderunt,quod hæc renunciarent.

Duo ex primarijs claſſiarijs in vrbem miſſi.

Die 8.Iulij Claſſiarium ex primarijs iterum ad vrbem miſimus,Imperatori donarium deferens, qui interim nuncium miſerat ad Claſſis dominos, vt illos adduceret,qui ſe excuſarunt,dicentes ſe male habere, & quod illa vice venire non poterant: & in ipſo receſſu monſtraverunt, nuncio omnia arma,qui adeo perterritus fuit, quod diu loqui nõ poſſet: & ſedens,interrogavit an Navarchus iratus eſſet,& cauſam. Tunc in vrbem redijt,illud ipſum divulgans,& tantum incuſſit timorem incolis,quod omni ſpe naves obruendi, deſtituerentur. Imperator vero conſiderans eius deliberationẽ tam convivij, quam alterius conceptus,manifeſtam eſſe,quamvis diceret ſe prorſus eius rei ignorantem fuiſſe,munereque ſe ſatiſfactum ſimularet,die 11. Iulij *Iacatram* abijt, attamen etſi ſeipſum excuſaret,certo ſcimus Luſitanos,pro ſolis navibus illi promiſiſſe 4000. Regales ex octo,& præterea omnes merces,tormenta & omnem pulverem tormentarium & glandes,& pecunia illum adiuvaſſe.

4000. Regales ex 8.

Die 9.Iulij,appulit *Bantam* in Navium ſtatione *Iunca*,eiaculans octies tormentis æneis, vulgo Baſſen dictis, & apluſtre album vento commiſit, in ſignum lætitiæ, quod ſalva in portu eſſet: quæ ad mercatores Bantam pertinebat. Die 10.multi mercatores Turci & Arabes claſſem appulerunt:inter quos vnus erat *Goia raioan* dictus, qui olim Venetijs fuerat,& mediocriter Italicã noverat linguam,& nobis propoſuit vt vna nobiſcum rediret,& deinde Conſtantinopolim proficiſceretur,quę eius patria erat: nam per *Achem* vrbem *Sumatræ* non poterat proficiſci,eo quod Rex,magnus *Achem* dictus,mercatores omnes retineret: qui nuper duas Iuncas Bentam deprædaverat,quare Bentam manere coactus erat. Hic Imperatori conſuluit ne deliberationem ſuam exequeretur, nam male res illi ſucceſſura eſſet,ſicut illi accidit,cum navem Luſitanam cogitavit obruere ſub prætextu amicitiæ inter *Maduram* & *Iavam*, ad *Ioartam*,tertio iam anno elapſo.

Imperatoris conſilium diſſuadetur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Die 11. dicto, receſſit Imperator *Iacatran* verſus, diſtantem 10. miliaria *Bantam* in inſula Iavæ, nempe cum conſideraret conceptus ſuos pro animi ſui deſiderio non ſuccedere: quæ civitas male a nobis appellatur *Sunda Calapa*. Nam *Sunda* portus eſt *Bantam* cum parte occidua Iavæ, vbi Piper creſcit.

Cornelius Houtmannus, Renerus Verhellius cum Sabandar vrbem petunt.

Die 12. Iulij tres Claſſiarij in vrbem miſſi fuerunt vt *Sabandar* obviam irent quocū iterum reverſi ſunt: qui requiſivit, vt Navarchus vrbem peteret, & Proregem conveniret, offerens ſe interim obſidem manſurum: quam liberam aut voluntariam oblationem non acceptarunt, attamen filius eius natu maior in claſſe remanſit. *Cornelius Houtmannus*, & *Renerus Verhellius* vna cum *Sabandar* terram adnavigarunt: qui cum apud Proregem veniſſent, iuſiurandum renovarunt, quod pro poſſe auxilium præberent Proregi & omnibus eius ſubditis, & honeſte & probe cum illis commercia tractarent: Prorex ſimili modo nobis auxilium promiſit contra inimicos omnes, immo contra ipſum Imperatorem, ſi nobis aliquo modo adverſari vellet: ſicque receſſerunt. Die 13. merces aliquas paraverunt, vt portarent ad Tabernam ipſis oblatam & præparatam, quas Renerus Verhellius die 14. huius menſis quæſitum venit, cum qua ipſe cum alijs 9. in vrbem navigavit & manſit, vt ibi venderet merces. Eodem tempore obijt Inſtitor Gubernatoris *Mallaccani*, quem omnes lamentabantur, vt qui Luſitanorum conceptui reſtitiſſet.

Commercia cum Prorege.

Die 16. Prorex magno comitatu tabernam acceſſit, qui diverſas emit merces, quas debito modo ſolveret Pipere novo poſt meſſem, & pretio communi. Eodem tempore multi nobiles, Mercatores *Arabes, Sinenſes, Bengali, Malaici*, Tabernam acceſſerūt, & claſſem quoque, Piper offerentes venale: ſed Domini noſtri emere noluerunt, antequam cum Prorege de pretio conveniſſent.

Gubernatoris petitio.

Die 19. Iulij noctu *Quillin Paian* claſſem appulit, literas adferens *Reneri Verhelli*, quibus plures merces petijt habere in Taberna: præterea mādavit quod Prorex poſtero die, vnà cum civitatis Epiſcopo naves inviſeret, quare nos præparavimus, cui cum aliquibus ex primariis Claſſiarijs mane in occurſum navigavimus; ſed ad vrbem venientes ſummus maris receſſus erat, quare me portari in vrbem iuſſi, & Tabernā acceſſi, vt Renerum convenirē, qui Palatium *Sabandar* acceſſit. Sed cum intellexiſſem, quod cum Prorege eſſet, reverſus ſum: cumque diu expectaſſemus, & ego ad Proregem miſſus fui, vt illi ſignificarem, quod eius Celſitudo in claſſe expectaretur. Prorex id intelligens, mox in Paraos propria ſedit; noſque præivimus, vt certiores claſſem de eius adventu redderemus, vbi magnifice & honorifice exceptus fuit: & poſt varias communicationes de negociatione mercium noſtrarum, pretium interrogavit, quod dilatum fuit: ſed vitrea donaria, aliaque illis data fuerunt, cū quibus civitatē repetierunt: & iaculationibus aliquibus tormentorum præſertim Pinaſſa ipſos honore affecit. Intelleximus

Piper noſtris venale offertur.

quod in Proregis comitatu adfuiſſent omnes præcipui proceres Regionis: qui magno comitatu venerunt. Indies Piperis ingens copia venalis offerebatur a diverſis nationibus pro certo pretio, hic non revelando: ſed cum noſtri Domini meſſem expectare decreviſſent novi Piperis, quæ inſignis apparebat, non conſultum putabant adhuc emere, nō obſtāte quod Luſitanus quidam, nomine *Petrus de Tayda*, Malacca natus, qui ipſo facto nobis addictus erat, ſuadebat vt emeremus, (ſicut & plures alij Mercatores) dicens Domini mi, male agitis quod Piper non comparatis; nam viliori pretio quam nunc eſt, emi non poteſt: quod cum Sinenſes venturi ſunt, duplo vendetur. Luſitanus hic celebris navium Gubernator erat, expertus ad omnes Oras Indiæ Orientalis; de quibus aliquas tabulas Hydrographicas compoſuit, quas monſtrare promiſit: quare ſperabamus quod plura ex illo intelligeremus.

Petrus de Tayda celebris Gubernator navium.

Die 28. Iulij in vrbem vocatus fui, ad diſtribuendas merces: indies in forum magnum miſimus (quod *Baſar* vocant) comparare Piper a ruſticis, menſura quam Gantan nominant. Sed cum nondum meſſis adeſſet, lente id factum fuit: & ſi appareret, quod quantitas creſceret, Domini tamen noſtri, nolebant quod emeretur amplius, ſine latiori mandato. Interim Luſitani minime dormientes, indies Proregem acceſſerunt, dicentes nos exploratores eſſe, & ad regionis ſitum explorandum veniſſe, & quod comparandi animum, vt apparuit, non haberemus; quodque neceſſario cum aliquibus navigijs pugnaſſemus, vbi fere claſſiarios omnes amiſiſſemus: & quod impoſſibile erat tam paucis viris, ex tam remotis partibus, quatuor naves per mare deducere: quodque Olyſſiponæ plures vidiſſent Flandros, ſed illis nunquam ſimiles. Hæc & plura alia Proregi ſuſpitionem dederunt, malamque opinionē de noſtris concipere fecerūt, & Luſitanis aures præbere, qui magnam pecuniarum illi obtulerunt ſummam, vt noſtris nullam liberam negotiationē admitteret. Prorex, qui merces a noſtris pro certa quadam pecuniarum ſumma emerat, ſub ſpe quod Pipere nos ſolveret, ſæpius cū dominis noſtris loquutus eſt vt de Piperis pretio convenirent, & tandem poſt diverſas æſtimationes & licitationes, obtulit quinque ſaccos pro *Catti* vno, in minoratione ſui debiti: quodque ea de cauſa ſacci ad eius ædes deferrentur; qui per Sinenſes omne Piper emi curavit, ſaccos ſex *Catti* vno, aut ſaccos 11. pro *Catti* duobus: ſed quia noſtri pretio non acquieuerunt, & Luſitani a calumnijs nō abſtinuerunt, & promiſſis aliquos ex Proceribus *Bantam* corrupiſſent, traditio non eſt ſequuta: ſed adhuc deliberare voluerunt: quare noſtri ſuſpicabantur, quod Iavani nos retinere voluerunt, vt nos ipſos ibi conſumeremus, & nihil exequeremur, ſicut indies ex *Petro de Tayda* intelligere potuimus, eorum plura quæ tractabantur; qui continuo noſtras frequentavit ædes ad continuandam amicitiam: ex quo quanto diutius vixiſſet, ut apparuit, plura potuiſſemus ſecreta rerum Indiæ Orientalis ab eo diſcere: nec a Iavanis nihil mali potuiſſet in noſtrum damnum concipi, quin nobis ſignificaſſet: Prorex, vt Luſitanorum ſatisfaceret petitioni, conſentijt vt

Luſitanorū odium contra nos.

Sacci 5. Catti Vno.

ipſum

ipſum e medio tollerent, quod die 13. Auguſti propoſuerunt exequi: nam eum expectantes, vulneraverunt, & die 16. in meridie ipſo dormiente, 16. ingreſſi eius cubiculum, ipſum lecto decumbentem trucidarunt, idque impune.

Petrus de Tayda a Luſitanis trucidatur.

De Captivitate noſtrorum, & ijs quæ acciderint.

CAP. 18.

Prorex e noſtris arguitur & minatur.

DOmini noſtri conſiderantes retardationem traditionis Piperis; in Proregem indignati, vt æquum erat, quod ſecundum promiſſa, debitum non ſolverit: dicentes contra decorum eſſe tanti Principis, non ſtare promiſſis; verba contentionis eo progreſſa ſunt, vt Proregem minarentur, niſi ipſis ſolverit debitum, quod vrbem appropinquarent, & igne tormentario incenderent, quodque damnum recuperarent Ioncos occupando, quæ in portu erant, & plæraque alia ſeveriora proferentes. Saccos Piperis 21. quos in foro ſive *Baſar* emerunt, ad claſſem miſerunt, & receſſum ſimulantes, merces noſtras in faſces colligarunt. Cumque Luſitani onerarent duas *Ioncas* Caryophyllis, alijſque mercimonijs, quæ Mallaccam veherent, & Legati noſtri ſæpius cum Prorege rudiora habuiſſent verba, tandem metuit, ne *Ioncas* occuparemus; quare obligaretur Gubernatori Mallacano damnũ reſarcire, quod in portu ſuo accepiſſet: præſertim quia Pinaſſæ mandatum fuit adnavigare vrbem *Bentam*, & bolide ubique profundnm tentare, vt certi eſſemus quam prope vrbem accedere liceret: quæ Luſitanorũ *Ionco* appropinquans, in eius circuitu profundum tentavit: quod reliquæ naves Iavanæ conſiderantes, amputatis rudentibus, aggerem appulerunt. Tempore matutino admonitus fui, quod *Iacatræ* biremes præparabantur, ad claſſem noſtram invadendum, quodque e claſſe nemo amplius in terram deſcenderet; quæ claſſi quoque ſignificata fuerunt, & nummos quos a Prorege recepimus, per Claſſiarium ad claſſem miſimus; nihilominis non obſtante omni hac admonitione, Cornelius Houtmannus cum ſex alijs in terram deſcendit: qui Proregem accedẽs, ibi cum ſuo comitatu detẽtus fuit. Mox in Taberna nos quidam acceſſit, præcipiens nobis inſimul manere, nihil quidem periculi eſſe, niſi quod Navarchus audacius quam conveniebat, loquutus eſſe. Qui in claſſe erant conſiderantes, quod ſcapha non redierat, cogitabant in vrbe difficultatem eſſe: quare murmur magnum inter ipſos ortum eſt: nam præſumendum erat, quod tales proceres nollent noſtrorum ferre iniurias & minas, qui tam exiguo numero, ex regionibus tam remotis eramus.

Ex vrbe remitti timus.

Die 29. Auguſti, Prorex ad claſſem miſit ſuum interpretem, cum 9. ſervis, & vno ex claſſiarijs noſtris, ſignificãs Proregem, nulla alia de cauſa noſtros detinuiſſe, quam ob minas a Navarcho prolatas; nec diutius nos retenturũ, quam donec Caryophylli eſſent onerati, & *Ionca* Mallaccam navigarent: metuebat enim, vt prædictum eſt, quod dictas Ioncas occuparemus: ſed noſtri dictis eius fidem non habentes, remigando eum ſunt perſequuti, & captum ad navim Mauritium ducentes, ipſum vna cum reliquis, compedibus incluſerunt, duobus ſervis exceptis, qui Proregi renunciarent, quod captivos relaxaret, aut interpretem avcherent. Prorex hæc intelligens (qui interfuit nuptijs filij minoris *Sabandar*, in eius ædibus) ira percitus, e menſa ſurrexit, & abijt; iurans niſi ante Solis occaſum Interpretem remitterent, nos omnes morti traditurum: quare literas ad claſſem miſimus, requirentes vt captos remitterent, aliter omnes vita privandos eſſe: quæ literæ per tres ſervos Luſitanorum miſſæ fuerunt, qui a claſſe redeuntes, vna cum ipſis duos alios ex ſervis captivis adduxerunt, dicentes quod reliquos omnes adduxiſſent, ſi altera ſecurior, & *Canoa* capacior fuiſſet. Die 30. mane Interpres in terram redijt: nos vero a Prorege obtinuimus, quod ſcapha cum viris quinque claſſem poſſet accedere, ea conditione quod negociaremur vt ante, in terram nõnullas merces advehentes venales; & quod ſcapha die poſtero rediret: ſed qui in navibus erãt, nullas merces mittere voluerunt, & cum viro, qui ſolus cum Pinaſſæ ſcapha terram appulit, aliquot miſerunt Regales ex 8; per eundem ſignificantes, vt omnibus modis noſtram liberationem procuraremus: nam diutius ibi manere non poterãt, ob aquæ dulcis defectum: & quia vnus ſolus redierat ſine aliquibus mercibus, ipſum nobiſcum retinuerunt: quare nos, & qui in claſſe erant, nihil boni ſperabamus: deliberarunt qui in claſſe erant, quod tota claſſe vrbem adnavigarent, & igne tormentario vrbem incenderent: Nos illis reſcripſimus ne tale quid attentarent: nam ſi id fecerint, omnes vita privaremur: ipſis enim aquam recentem & annonam ex vrbe mitteremus, quod & tunc fecimus, & quotidie continuavimus, vt ipſos contentos redderemus.

Prorex noſtris mortẽ minatur.

Die 4. Septembris, qui in claſſe erant, Piſcatorem perſequuti ſunt, quem conſequi non poterant: deinde & alium, cui literas ad Proregem dederant, & pro labore aliqua parva ſpecula dederunt.

Die 5. cum Prorex nobis nollet admittere vt literas in claſſem mitteremus, nihilominus aliquas ſcripſimus, quas Luſiitano ſervo tradidimus: quæ a duobus ſatellitibus Proregis interceptæ, & Luſitano ſervo vi ereptæ, vna cum ſervo captivo Proregi traditæ fuerunt: qui ſervum relaxavit, & mihi redditæ fuerunt literæ in loco ante palatium, *Paceban* dicto: vbi & mihi datæ fuerunt literæ (quas pridie, qui in claſſe erant, Proregi ſcripſerunt) vt ipſis prælegerem: quæ hæc continebant. Quod cupiebant vt nos noſtraſque merces relaxaret, defectu cuius, damnum recuperarent, prout eis erat iniunctum: ipſi proponentes, quod contra datam fidem, & eius iuſiurandum faceret: ſicque eos reliqui, vt noſtros accederem, & omnem rem pateſacerem, qui erant in domo *Sabandar*; vbi, interim

Noſtri incarcerātur.

quod conſultaremus, Interpres *Quillin Panian* ingreditur, dicens noſtras naves ad anchoram ante vrbem poſitas eſſe, & quod noſtri *Ioncas* vi occupaſſent: quodque tota civitas arma arripuiſſet: mox quoque audivimus tormẽtorum tonitrua, quæ in civitatem noſtri eiaculabantur. Prorex cum Conſilio militari conſultans, miſit *Sabandar* vt nos apprehenderet, quod & factum fuit, & nos carceri manciparet. Reliqui qui in Taberna erant, in Curia adducti fuerunt, & inde ad locum, ubi malefactores ordinario plectebantur, vt morti traderentur, cum a Prorege acceſſit nuncius, ſignificans ne adhuc necarentur, ſed in Sinenſium ædibus diſtribuerẽtur, quo & nos e carcere deducti fuimus; ſed paulo poſt iterum in carcere clauſi. Voluit Prorex quod claſſi literas ſcriberemus, requirentes ne amplius iacularentur; quod factum eſt: poſteroque die induciæ fuerunt, vt de concordia tractaretur: eaque de cauſa, nos congregati fuimus cum dominis *Iuncarum* (quas noſtri occupaverant) ſed fruſtra: quare iterum carcerem ingreſſi ſumus.

Proregis petitio.

Civitas ſecundo tormentis oppugnatur: & Iavani conantur Pinaſſam opprimere.

CAP. 19.

Conantur Pinaſſam 24. biremibus obruere.

QVi in claſſe erant conſiderantes quod ab vrbe nulla veniret concluſio; quodque interim Iavani ſe poſſent armare, Pinaſſam miſerunt verſus navem Iavanam, aut *Ioncam*, que retro inſulam navigabat: vbi Pinaſſa eam perſequens, fundo adhæſit: quod Incolæ vidẽtes, qui 24. biremibus parati erant, mox ordine ſemilunari Pinaſſam adnavigant. Qui in Pinaſſa erant, mox anchoram e fundo eduxerũt, & levarunt optime ſibi proſpicientes: & cum biremes ſub iactu eſſent tormentorum, mox tormenta exonerarunt, vnamque biremem ad fundum miſerunt. At cum Pinaſſa Celocem alligatam haberet; qui illæſi erant, ipſam occuparunt, & funem abſciderunt. Iavani animoſe ſe defendebant, per columbaria haſtis trudentes, ita

Delineatio ad vivum noſtrarum navium, dum tormentis vrbem Bantam oppugnarent: & Pinaſſa Ioncam *perſequens, & fundo adhærens circa* Pulo dua, *cum 24. biremibus Iavanus pugnaret, & repulit, cum damno multorum Iavanorum, nullo (Deo ſit laus) noſtrorum vulnerato: & dũ ſecũdo oppugnarẽt: quare magnus timor incolas invaſit. Deinde qui ab vrbe receſſerũt, ac* Iuncas *exonerarẽt retro Inſulas* Pulo lima *dictas.*



vt noſtri difficulter tormentis vti poſſent: nihilominus ſclopis adeo ſalutabantur, vt multi occumberent, & reliqui qui erãt ad latus veli, accedere nõ auderent, & ſi viris plurimis biremes armatæ eſſent; qui ſemel Baſſam eiaculabantur, & 5. aut 6. tela arcubus ſagittarunt, ſed neminem læſerunt ex noſtris. Qui conſiderantes quod nihil exequi poſſent, ad vrbem remigarunt, quos noſtra perſequebatur Pinaſsa, quæ vrbẽ appropinquans, bis eiaculata eſt in vrbem: & viciſſim Incolæ In eam; ſed ſine collimatione. Vna Celocium, piſcatores remigando perſequebatur, & *Canoam* vnam conſecuta eſt. Eodem veſperi condemnati fuimus morte, ſed cum in qualitate mortis convenire non poterant; (alius enim palo Indui; alius tormento tranſfigi, alius pugionibus configi nos voluit) in poſterum diem dilatum fuit. Naves continuo in poſterum mane, tormentis iaculabãtur, quare nonnulli Iavani læſi fuerunt, nec non Carcerarius qui me, & aliũ in carcere cuſtodiverat. Penetravit quoque glans Regis palatium, vnde timor magnus incolas occupavit.

Pinaſſa duos glandes in vrbẽ iaculatur.

Morte dãnati.

Glans in Regis palatium miſſa.

Die 8. Septembris, literæ miſſæ fuerunt illis qui in claſſe erant, requirentes vt paruumper ab vrbe recederent, quod fecerunt, exonerantes Caryophyllos e *Ioncis*.

Die 10. aliæ miſsæ fuerunt literæ, quibus indicavimus nos ſperare convenienti redemtione liberandos eſse.

Die 11. cum nos, tum Prorex, ad claſsem literas ſcripſimus, quod relaxaremur, modo quieſcere vellẽt: at ſi contentiones quærerẽt, ipſos invaderet: cui reſponſum a claſse fuit, quod ſi ipſos invaſerit, inveniret cum quibus pugnandũ eſset: quodque ſocios remitteret: nam diutius verbis noluerunt ſatiſfieri, quodque poſtero die reſponſum expectarent.

Literæ contentum.

Die 13. reſponſum non accipientes, anchoras levarunt, & vela dederunt ad quærendum locum aptum ad aquandum: qui aqua dulci carebant, & nulla loca ibi cognita habebant ad recuperandũ: quare deliberarunt oblongam petere inſulam, ubi fretum ingredientes, aquati eramus: altamque appulimus Inſulam, octo miliaria fere *Bentam* ad Boream diſtantem, ſed nullam aquam ibi invenire potuimus: quare coacti fuimus Oras *Sumatræ* petere, ſecundum quas die 15. & 16. navigabant, aquam querentes, ſed nullam reperientes.

Aquã dulcem quærimus.

Die 17. Septembris tribus aut quatuor inſulis appropinquarunt, quæ *Cocos* plenæ erant, ſed eas præternavigaverunt, naves Mauritius & Amſtelrodamum: cumque ibi maximus exiret fluctus, ſcopulis adeo propinquæ factæ ſunt, vt in ipſos fere ſalire potuiſſent: quare in magno erãt periculo: ſed Pinaſſa, & Leo Hollãdus extrinſecus navigarunt, & retro inſulas iterum ſe coniunxerunt, vbi anchoras commiſerunt gurgiti 19. orgyiarum, & fundo arenoſo: qui mittentes ſuas Celoces ad quærendum aquam, fumum quendam perceperant, & die poſtero Indos aliquos, quos interrogabant ubi aquari poſsent: ſed reſponderunt illis prohibitũ fuiſse, Ipſis aquã mõſtrare: nihilominus ſi ſclopus ex qualibet nave illis daretur, aquam monſtrarent: quod factum fuit, vbi vſque in 25. diem aquati ſunt, & donec *Bantam* rurſus adnavigarent. Villula ad quam anchoras eiecerunt, Malaice, *Samor*; Iavanice *Lampon* dicitur: potuitque *Bantam* diſtare miliaria 30. ad Boream, paulo Occidentalius: dieque primo Octobris anchoras poſuerunt ſub inſulam *Pulo Paian*, in gurgite 15. orgyiarum. Nos qui in carcere eramus, mox cum claſſis receſserat, diſtriburi fuimus inter illos, quorũ ſervi a noſtris occiſi erant, plurimumque nos vrgebant vt eorum amplecteremur fidem, & nonnullos vi vrgebãt, ſed nihil illis profuit, & nobis permiſerunt ire quo placuit. Luſitani quoque minime dormierunt, ſed indies proceres acceſserunt, vt eis venderemur & traderemur, pro nobis offerentes 4000. Regales ex octo, ſed Deus nos ſervavit. At cum intelligeremus naves reveniſse, iterum cepimus ſperare, qui ſeparati & dati eramus diverſis dominis pro ſervis, quorum ſervi a noſtris occiſi eſsent, vt prædictum eſt. Poſtero die claſſi literas ſcripſimus, quibus ſignificavimus tum noſtram conditionem, tum quod & merces, & nos diſtributi eſsemus inter præcipuos nobiles. Dieque tertio alias dedimus literas, mandantes nos meliora ſperare, & quod convenienti redemtione liberaremur: nobiſque liberum eſse ire per vrbem, & converſari cum quibus placeret: & die 6. Octobris miſimus virum, ex iis qui in claſse capti fuerant, vt nobis melius crederent, qui retulit noſtris periculum in quo eramus, in vrbis oppugnatione per tormenta; & præterea quæcunque acta fuerant, quodque nunc via eſset ad concordiam. Hic cum Luſitano ſervo in vrbem rediit, omnemque conveniendi modum cum Prorege procuravimus; quod poſt multas hinc inde literas miſsas die 11. concluſum fuit, hoc modo. Quod ſolveremus 2000. Regales ex octo, & tunc claſsem repeteremus. Quod quæcunque vtrinque deprædata erant, manerent compenſata: ſcilicet omnes noſtræ merces, & quod nobis debebatur, compenſarentur Caryophyllis, aliiſque mercimoniis ex *Iunca* prædatis, & quod eo cuncta eſsent ſopita & extincta: & quod nova pactio & confœderatio firmaretur, & negociaremur vt ante: quæ ſic facta fuerunt. Nam eodem die duos obſides ad claſsem miſerunt, qui Sinenſes erant: tunc mille Regales ex octo miſſi fuerunt in vrbem, cum quibus nos liberati fuimus: & poſtero die vna cum Sinenſibus miſſi fuerunt reliqui mille: tunc Annonarii naves appulerunt, & noſtri vrbem acceſserunt, ementes a diverſis Piper, quod per miniſtros *Sabandar* ad claſsem vehebatur. Et ſic pacifice cum Incolis negociati ſumus vſque in diem 24. Octobris: quo die legatus appulit Malaccanus, qui ſcapha *Bantam* venit, relinquens naviculam qua venerat ſub quadam inſula, quæ die 30. *Bantam* appulit, adferens, vt nobis relatum fuit 10000. Regales ex octo, aliaque egregia, quæ Proregi donavit, ea conditione vt nobis negociationem interdiceret, quod & accidit: nam Prorex nobis ſignificavit, nobiles nolle nos diutius ibi negociari: interim convenimus duos Navarchos duarum navium ſive *Ioncarum*, quæ Nucibus odoratis & Macere onuſtæ erant, *Ioartam* pertinentes, vt ab ipſis emeremus, & de pretio fere convenimus: quod

Separati, & ſervi facti.

Luſitanorũ petitio.

Literarum contenta.

Concordia ſancita die 11. Octobris 1596.

Die 24 Octobris.

NOTA.

Prorex intelligens, illis prohibuit ne nobis venderent. Negociatio noſtra exiſtens iterum interrupta, noſtros ex vrbe ad claſſem revocavimus, qui quoque a *Sabandar*; & alijs noſtris fautoribus moniti erant, vt vrbe recederent, & non redirent, alias iterum retinerentur, & traderentur Luſitanis. Nonnullas merces ex vrbe ſecum adferebant; aliquæ tamen ibi remanſerunt, quia iam ſero eſſet, & navigium Luſitanum ante portum erat. Cum noſtri terra

Die 26. Octobris. ſolverent, nonnulli Luſitani accedebant vt noſtros invaderent: qui ſe defendentes, Luſitani non audebant eos invadere, ſicque claſſim appulerunt; habentes die 26. abeundi ventum: ita vt nulla nobis ſpes ſupereſſet aliquid amice amplius obtinendi, præter ambas *Iuncas* prædictas, quæ vt dictum eſt, *Banda* venerunt, ad mercatores *Ioarta* pertinentes, qui apud hoſpitem noſtrum hoſpitio erant: quas (eo quod Prorex interdixerat ne nobis venderẽt) per hoſpitem, qui quotidie claſſem appulit, venales offerebant: contenti aliquas ex noſtris mercibus in ſolutionem accipere, ſed non potuerunt ad claſſim ducere, & nobis tradere Proregis interdicti cauſa: ſed debuiſſemus

Die 1. Novembris. eas rapere ante civitatem, quod die primo Novembris executi ſumus, claſſe vrbem adnavigantes, & Celoce 13. viris munita ambas *Iuncas* ad claſſem duximus: ſed cum in earum altera eſſent 60. ſervi, qui ignorabant nos cum eorum Navarcha conveniſſe, oppoſuerũt ſe noſtris; quare noſtri ſcloppis ipſos invaſerunt, & 6. aut 7. occiderunt: quod reliqui videntes navem exilierunt, natando terram petentes: ſimiliter fecerunt qui in altera erant, quare ambas ad navem Mauritium duximus.

Eodem die, exiſtente Luſitana navicula iuxta terram, a Legatis miſſi fuimus duabus celocibus 25. remigibus munitis, vt eandem occuparemus: ſed Luſitani in ea exiſtentes duobus Baſſis æneis muniti, ſclopis tam acriter ſe defenderunt, quod coacti eſſemus noſtris apertis celocibus ad claſſem redire, præſertim quia ventus altanus validus, nos ad terram pellebat, ubi incolarũ multitudo ad pectus vſque armata nos exſpectabat: quare potiorem cõditionem non videntes celocibus noſtris apertis, pugnare cum 50. Luſitanis, defenſione aliqua bene munitis, claſſem repetimus, vno ex noſtris ſclopo vulnerato, qui die 3. aut 4. ſubſequente obijt: ex Luſitanis vero tres percuſſi; quorum vnus glaude tormentaria traiectus fuit, quæ ex claſſe iaculata erat: & ex glandibus quæ ubique in urbem iaculabantur, tres aut quatuor alij occubuerunt, ſicut poſt ex Annonarijs qui eque audacter claſſem appulerunt, accepimus: qui nobis indicabant, quod in vrbe claſſis armaretur, vt nos invaderent: Luſitanis nobilitatem incitantibus, & conſcribentibus omnes qui contra nos pugnare vellent; quibus paratam pecuniam, & veſtes dederunt. Mutuabantur quoque ab ijs qui perſonaliter aſſiſtere non poterant, ſervos pro certa pecuniarum ſumma. Nocte ex navi Amſtelrodamio tormentis in vrbem glandes aliquot iaculatæ ſunt, ubi vnico ictu tres occubuerunt. Celox Leonis Hollandi perſequebatur *Ioncam*, quam cum præter Reſinam nihil haberet,

Luſitanorũ conceptus. liberam reliquit. Veſperi iterum ab vrbe receſſimus. Die 2. Novembris, conſpicientes e mari navem adnavigantem, eam Celocibus noſtris remigando acceſſimus: cui appropinquantes, ad defenſionem ſe parantes qui in ea navigabant, ſtoreas defenſivas demittebant: quare ſclopis eos aggreſſi ſumus: illi vero cannis

Cannis in noſtros ſagittulas efflarunt. efflabant parvas ſagittas intoxicatas tam denſe: ac ſi ſagittulas pluiſſet, & 9. aut 10. ex noſtris vulnerarunt, quorum aliqui 4. aut 5. vulnera habuerunt: quæ etſi propter tenuitatem non profunde ſaucient, tamen in carne diſſipantur, & propter toxicum, vulnus putridum generant. Noſtri ſeptem ex eis occiderunt: qui videntes quod velificando effugere non poterant, eorum celocem intrantes, remigando ſe ſalvarunt. Noſtri nave contenti erant, quæ Oryza, piſcibus torrefactis, & alijs vilibus mercibus onuſta erat. Erant 40. viri fere, qui *Bandermachin*, oppido Inſulæ Borneo venerunt. Noſtri *Ioncam* ad claſſem duxerunt, quæ nobis opportune commeatus loco aderant. Poſtquam biduo exſpectavimus acceſſum hoſpitis, aut Navarchorum *Iuncarum*, eoſque per Annonarios aliquos vocaſſemus, & non venirent, exonerare cepimus, & in navem Mauritium transferre: invenimuſque fere 20. onera nucum odoratarum, quæ non ſeparatæ aut ſelectæ erant, & 30. ſaccos Maceris, aliaſque merces aliquas. Sed interim quod *Iuncas* exonerant brevi ſermone declarabimus, conditiones, religionem, Oeconomiam, & leges Iavanorum.

Hic ponenda eſt Tabula Iava & Sumatra.

De Origine Iavanorum, eorumque vrbium.

CAP. 20.

IAvani, certo affirmare, a quibus originem habeant, neſcimus: qui de origine interrogati, aiunt a Sinenſibus originem ducere: qui cum gravi ſervitute oppreſſi eſſent in Sinarum regione, Coloniam inſtituentes, Iavam migrarunt. Quod equidem veriſimile eſt, præſertim quod Sinenſes facie referant: habentes frontem latam, genas inflatas, oculos parvos. Et reperimus ad confirmationem huius, quod Marcus Paulus venetus, cum Tartaro militaret, ait, Inſulam Iavæ magnæ Tartaro pependiſſe tributum: & eodem tempore qua Sinenſes Tartaro rebellarunt, ipſi quoque Tartarum non agnoſcerent dominum. Nam adhuc hodierno die Sinenſes ibi ſunt frequentiſſimi, qui Bantam habitant, ad evitandum, vt dictum eſt, ſeveras leges & ſtatuta Sinenſium, quamvis raro niſi cum difficultate quis emigrare poteſt: & qui migrant raro redire conſpiciuntur, niſi ibi reliquerint vxores & proles. *Iavani* ergo proprios nunc habẽt Reges: & vt plærumque videtur in omnibus provincijs quæ ſuperiorem non agnoſcunt, quod plures in Reges ſe elevant: ſicut poſt Alexandri Magni obitum, quilibet Gubernator Regẽ ſe fecit ſuæ adminiſtrationis. Sic etiam Iavanis evenit, vt qui prævaleret, Regẽ ſe dixerit: quare ſingulæ civitates Iavæ, proprium habent Regem, ſed Rex *Bantam* potentiſſimus eſt. Nunc vt clare loquamur de omnibus oppidis Inſulæ Iavæ, nobis cognitis, incipiemus a parte Orientali Inſulæ, veniendo verſus Occidentalem. Civitas *Ballambuan*, celebris eſt, muris circundata & propugnaculis, proprium habens Regem, quæ tempore quo ibi eramus obſeſſa fuit, ob cauſam quam poſt narrabimus. Ex oppoſito huius, eſt egregia Inſula *Bali*, admodum fœcunda, quæ fretum cauſat, quod ſtrictum Ballambuan nominatur. Iſtinc diſtat ad Boream miliaria 10. vrbs *Panarucan*, vbi multi Luſitani habitant, pluresque Iavani Chriſtiani. Habet quoque proprium Regem, qui Luſitanorum inſignis eſt fautor. Ea quæ hic venalia habentur ſont ſervi, quorum magnum numerum Luſitani ſingulis annis *Malaccam* vehunt, atque Macropiperis parum. Texuntur ibi aliquæ veſtes muliebres, quæ Iavanica lingua *Cantorins* vocãtur: eſtque muris circundata. Retro *Panarucan* mons ſulphureus ardet, qui anno 1586. primum erupit, tanta vi, quod decem mille animæ fere perierint, miſitque petras in vrbem vſque, & tribus diebus fumo adeo obſcuravit cælum, vt noctem dixiſſes. Portus eſt vbi plærumque appellũt Luſitani, cum ex inſulis *Moluccis*, *Banda*, *Aboyna*, *Timor*, & alijs, aut *Malacca*, inſulas petunt. Duo prædicti Reges Ethnici ſunt. Sequitur Oppidum Paſsarvan 6. miliaria a dicta iam vrbe diſtans: eſtque vrbs fortis, muris circundata, inſigni fluvio ornata, cuius Rex vrbẽ Ballambuan obſidione cinxerat, eo quod rex Paſſarvan, Maurus, in matrimonium Regis Ballambuan filiam petens (cui cum honorabili comitatu cum miſſa eſſet) poſt primæ noctis concubitum, eam cum omni comitatu, trucidare iuſſit, eo quod non eſſet Mahumetana, vt ipſe: qui mox exercitum colligens, primum *Paſſarvan* obſedit, quam ex improviſo putabat opprimere, quod male ſucceſſit illi, relinquens aliquos ex ſuis in campis occiſos: tunc ſuo exercitu Ballambuan ivit & obſedit: qui duo ædificans propugnacula ad fluvlum, eundem palis vallare iuſſit, ita vt nulle naves & ſcaphæ pernavigare poſſent, & quadrimeſtri ſpacio obſeſſam tenuerat, vnde in vrbe cariſtia magna erat.

Iavanorum Origo.

Marci Veneti teſtimonium.

Proprium quælibet vrbs habet Regem.

Ballambuan obſeſſa.

Quæ venalia extant.

Rex Paſſarvan propriam vxorem trucidare iuſſit.

Merces quæ hic ſunt venales, ſunt plures exigui & ſubtiles Garnitri, qui fructus ſunt fragis ſimiles, & a mercatoribus *Quillinis* multum æſtimantur, qui Inde orbiculos precarios ſibi conficiunt. Sunt hic quoque panni Goſſypini, qui Bantam vehuntur, & Sinenſium mercibus commutantur. Terra *Paſſarvan* monte peralto cognoſcitur, ad cuius radicem ſita eſt. Decem miliarijs Occidentalior eſt ad inſignem fluvium vrbs *Ioartan* optimo portu beatam, ubi plærunque naves e Moluccis inſulis venientes, & *Bantam* petentes, ſibi provident de omnibus quibus indigent rebus; ſpiſſo quoque cingitur muro: Ad latus Occiduum fluvij, ſita eſt Gerrici vrbs quæ Regem habet; quem reliqui Reges iunctis manibus ſemper alloquuntur, eodem modo quo ſervi ſoliti ſunt heros ſuos alloqui. Ex his duobus oppidis Salis copia advehitur *Bantam*, aliaque loca, qui iſtinc vehitur *Baros*, *Speriamon*, *Iambe*, vbi Pipere commutatur, & Celevar, quæ eſt inſula Goſſypij & Orizæ ditiſſima, quibus ingenti lucro Salem cõmutant. Sequitur nunc *Surubrya*, quæ fluviolum habet, & proprium Regem. Qua diſtat ad Occidentem miliaria ſex oppidum *Brandaon*, ſub eiuſdem Regis imperio, qui *Cidayo* habitat: quæ & vrbs munitiſſima, muris & propugnaculis circundata: tamen ad Portum nulla eſt contra mare defenſio: profundo gaudet 10. orgyiarum, & fundo lutoſo; quare ventis validiſſimis ibi morari non poteſt, nam anchoræ perrumpunt, vt nobis accidit, die 4. Decembris, cum ibi in navium ſtatione eramus, vt poſt latius declarabitur. Stationis huius ſignum, ſunt tres montes oblongi & plani, referentes tres longas ruſticorum menſas: quare Luſitanis *As meſas de Tubaon* appellãtur, & Iavanis *Batto Gilling*. Hanc navium ſtationem intrant *Ionca* quæ Inſulis Moluccis veniunt, onerantes Salis tantum quantum illis ſufficit ad plenam vecturam: ſunt enim vbique inter *Iuama* & *Pari* plurimæ Salinæ, & verſus Occidentem amplius nullæ. Ad Circium diſtat miliaria decem oppidum *Tubaon*, quod & Regem habet, & populi frequentia gaudet, ad ſinum magnũ ſitum, ita vt iuxta terram exiſtens in ipſo ſinu nullam terram conſpicere poteſt. Miliaria quinque ad Borrholybicum diſtat oppidum *Caiosno* in quodam ſinu ſitum; habet quoque proprium Regem, ſed parum negotiationis maritimæ, ſicut & oppidum *Mandalican*: in portu habet parvam inſulam, nulloſque habet mare navigantes, quam piſcatores aliquot. Miliaria quinque ad Occidentem iſtinc diſtat

Quæ merces hic ſint venales.

oppi-

oppidum *Iapara* ad angulum quendam, tria miliaria ſere in mare ſe extendentem. Civitas hæc vallo tantummodo circundatur, egregio fruitur fluvio, & optimo portu; quare naves multæ ibi appellunt, vt rebus neceſſarijs provideanr. A pluribus annis proprium habuit Regem, mari & terra potentem: & ad Notolybicum diſtat miliaria 25. *Iapara*, & miliaria 45. *Bantam*, civitas magna *Mataran*: cuius Rex potentiſſimus eſt totius *Iava*, ſæpeque minatur obruere vrbem *Bantam*, quod quotidie, interim quod aderamus, expectabatur; quare magnus apparatus, vt aiebant, ibi factus fuit ad reſiſtendum.

*Iapara diſtat miliaria 5. ad occaſum, oppidum Pari. Iſtinc miliaria tria diſtat oppidum *Dauma*, vbi Imperator pro Rege agnoſcitur, oppidum munitiſſimum, muro circundatum: a quo diſtat miliaria tria, vrbs Taggal: quæ tres vrbes, ſingulæ, proprium flumē habent, & ad ſinum vnum ſitæ ſunt. Poſt ſequitur civitas magna *Charabaon*, egregio muro munita, & flumine dulci gaudens: terra vltra hanc ſita cognoſci poteſt per duos montes, retro eandē poſitos, referentes equi ſellam. Sequitur nunc *Dermayo*, quæ & fluvium habet, deinde *Cravaon* quæ villa eſt magna, a piſcatoribus habitata, ob piſcium abundantiam; flumine gaudens, quod tribus oſtijs in mare ſe exonerat. Hic ad inſulas primum venitur, quæ longe & latæ ſparſæ ſunt in portu *Iacatra*, qui ſinus eſt magnus, ad quem adhuc ſita eſt vrbs regia, cuius nomen nunc excidit. *Iacatra* omnigenæ annonæ copia gaudet, & vere a nobis *Sunda Calapa* dicta: *Sunda* enim Iavanica lingua, idem eſt quod, locus fœcundus: & *Calapa*, eſt Nux Indica: ſignificat ergo locum *Cocos* fæcundum. In ſinus oſtio aliquas inſulas habet, & vadum occultum, in quod impingens navis Amſtelredamum, plurimum læſa fuit & aquam hauriens: habet inſignem fluvium, & vallo ſolummodo cingitur; populi frequentia gaudet, & vrbs commoda ad neceſſarijs rebus providēdum. Ad angulum Sinus occiduum, miliaria tria fere ab vrbe; eſt fluvius *Tanioniava* dictus, ad quem, miliarij unius ſpacio aſcendens, villa eſt, vbi commode aquatur, qui ad inſulàs Indiæ Orientalis iter ſuum vult perſequi: nam a nemine poteſt impediri: ad quem angulum, flumine non viſo, anchora committi poteſt profundo 9. & 10. orgyiarum, & fundo argilloſo: deinde Celoce angulo ſuperato, fluvium intronavigare licet. Terno miliari ad Occaſum, magnus eſt fluvius, *Punctam* dictus, cui adiacet ingens pulvinus, qui maris receſſu ſiccus apparet. Ad hunc fluvium, miliare vnum ingreſſus, habes villam cuiuſdam nobilis, *Zenopasa* dictam. Fluvius hic Piper tradit, oritur enim a poſtica parte terræ altæ *Iava* Gnon dictæ, ad radicem cuius maxima Piperis copia naſcitur. Miliari vno magis ad Occaſum, villa eſt *Tanbara* dicta: in hoc itinere multæ ſunt inſulæ, inter quas navigatur, donec *Bantam* appellitur, qui omnium optimus & maior eſt portus: ubi præcipua fiunt commercia cum circumvicinis Inſulis & oppidis, quorum alijs in locis mentionem faciemus: quam vrbem ſequuntur prædictæ villæ, in quibus Piperis magna provenit copia, & per exteros mercatores *Bantam* vehitur, Sinenſibus vendendum. Luſitani Piper hoc ſolebant emere, ſed Sinarum rex pecuniarum ſumma cum eis convenit, quod Piper hoc Sinenſibus concederent. Præterea Luſitani parum lucrari poſſent, ſi in Iava emerent & aveherent, naulumque ſolverent, maris periculum ſerrent, & deinde Regis Inſtitori in Cochin traderent Centenarium pro 12. Cruciatis. Luſitani nunc ſolummodo Aromata medica, Caryophyllos, Nuces odoratas, Macerem, & Santali lignum, comparant; que Malaccam, aliaque loca transferunt.

Maior Piperis copia hic naſcitur.

Situs Civitatis Bantam.

CAP. XXI.

Situs vrbis Bantam.

Civitas *Bantam* ſita eſt in terra humili, ad radicem montis alti, ex quo deſcendunt duo rivuli ad vtramque vrbis partem; aliuſque per vrbis medium, quibus vrbs optime aqua cingitur, & ſitu munita eſt. Muros habet orgyia ſpiſſiores, ex lateribus rubeis coctis ædificatos, habens portas aliquas fere inacceſſibiles, vbi die noctuque diligentes exercentur excubiæ. Propugnacula habet ad lapidis iactum ab invicem diſtantia, & in ſingulo tormentum: ſed rheda & rotis carens, quo recte vti ignorant, nec pulverem habent pyrium, quam qui *Malacca* advehitur, vbi pulveris pyrij mola eſt. Turres non habent, ſed formam quandam ſcecharum, tribus tabulatis ædificatam, ex malis magnis, & lignis, quæ ſcalis aſcendunt, & vna ſcalas in altum trahunt; ex quibus contra inimicos acerrime ſe defendunt, cū oppugnantur. At nunc intelligētes, Regem *Mataran* eos invadere propoſuiſſe, circumcirca civitatem ſuper muros ædificarunt pergulam ex altis arboribus, ſuper quam ire poterūt, vt inimicis reſiſtant, ſtantes lorica protecti. In vrbe tres tantum vicos rectos habent, terminantes ad locum ante palatium *Paceban*, dictum: quorum primus directe tendit a *Paceban* verſus mare: alter, verſus Portam Campeſtrem: tertius, ad Portam montanā. Civitas non eſt ſtrata, ſed tota arenoſa: quæ poteſt ubique pernavigari, a canali in canalem: qui canales cum non ſint ſatis ampli & fluentes, ad devehendas ſordes, ſitque civitas paludoſa, ſunt ſordidiſſimi & fætentes: nam incolæ, & viri, & feminæ, ſæpiſſime publice ſe lavant; quare fundus ſemper fere turbatur, & aqua turbida & lutoſa. Templū habent amplum, quod Meſquita vocant, iuxta Regis palatium ſitum ad latus occiduum, quod ſat magnum eſt: & armamentarium a parte Orientali, In quo arma publica quæcunque in vſum belli reponuntur & ſervantur. Ad partem Auſtralem domus eſt Regis parvuli, cui contigua eſt domus *Chepate* Viceregis, iuxta cuius ædes via publica eſt, quæ ducit ad Portam Campeſtrem, in qua habitant omnes Regis ſervi, & miniſtri,

Publice ſe lavant.

ſtri,eſtque eius Officina, hippocomia, & Culina. Præterea partita eſt vrbs in multos vicos, & cuilibet vico nobilis præfectus eſt, qui eius curam habet tempore belli; incendij, alterluſque rei: & quilibet habet proprium vallum & clauſuram, ab altera diverſam: & in quolibet vico pendet Tympanum magnum, magnitudinem habens dolij, aut ſeſquivaſis vini; quod pulſant malleo textoris, qui appendet, cum aliqua difficultas, aut incendij, aut pugnæ, adeſt: ſimiliter in meridie, mane in aurora, & veſperi, vigente crepuſculo. Habent & pelves, quos pulſant vt nos campanas, quibus populum mox excitāt, & congregant. Ad omnia plateanim compita habent ſuas excubias, quæ curam habent eius rei: & veſperi omnes parui Portones recluduntur & alio tranſferuntur, vt noctu nemo per vrbem divagetur. In *Paceban* qualibet nocte, ante carcerem, ſunt 50. excubitores: præterea quilibet nobilis habet in atrio domus ſuæ 10. aut 12. viros vigilantes. In ædium ingreſſu primo invenitur locus quadratus, quem *Paceban* appellitant: vbi audiuntur, qui audiri requerunt: & excubie fiunt in tugurio arundine, aut Palmarum frondibus tecto; in quo audientia datur. In vno angulorum dicti loci propriam Moſqueam, ſive ædem ſacram habent, in qua Meridie orant, & iuxta eandem, puteum, in quo ſe lavant. Introrſum pergens, ad oſtium venitur cum angusta pergula, quæ multis angulis fortificata eſt; in quibus eorum ſervi habitant ad ipſorum defenſionem, ne noctu ab inimicis opprimi poſſent: nemini enim fidūt, nec fidi ſunt. AEdes eorum ſuper 4. aut 8. aut 10. columnas ligneas ædificantur, egregie ſculptas: quæ folijs palmarum ſunt tectæ, & inferius totæ apertæ, vt fruantur refrigerio: nam nunquam ibi frigus viget: habent tamen Cortinas, quibus ædes, in circuitu claudunt: Superne nullas habent contignationes aut tabulata, in quibus aliquid ponant; quam ſuper horreum, quod eſt ædificium ex lapidibus conſtructum, vnica contignatione ſine feneſtris; tecto ſtramineo coopertum. In hoc horreo reponunt omnes merces, cum incendium eſt, quod ſæpius accidit: tabulatum habet ex groſſis arboribus contignatum, quod

Civitas Bātam in multas partes partita.

Forma tympani.

Pelves habent loco campanarū.

Excubiarū forma.

Domorum constructio.

Delineatio vrbis Bantam, *eo modo quo partita eſt.* A. *Regis palatium.* B. Paceban. C. *Porta campeſtris.* D. *Porta montana.* E. *Porta Aquaria.* F. *Repagulum aqueum.* G. *Turris.* H. *Templum ſive Meſquita.* I. *Sinenſium habitatio.* L. *Palatium Payeran Gouban, Capitanei* Bantam. M. *Rivus per vrbem fluens.* N. *Palatium Sabandar.* O. *Palatium Architalaſſi.* P. *Palatium* Satie Moluc. Q. *Palatium fratris Proregis.* R. *Palatium* Chenopate. S. *Palatium* Panjanſiba. T. *Forum Sinenſium.* V. *Palatium* Andemoin. X. *Taberna noſtra.* Y. *Domus* Guzeratum & Bengalorum. Z. *Armamentarium.*



arena multa tegunt, ne aduratur. Cuncta ædium ſublicia, compoſita ſunt ex groſſis arundinibus, *Bambu* dictis, fiſſis ſcandularum more: ex quibus facillime & exiguis expenſis, ædes ſuas ædificare poſſunt: ſicut noſtro tempore vidimus, per incendium quod in vrbe & extra vrbem, magnam ædium partem ſecundum litus conſumſerat: & tridui aut quatridui ſpatio iterum novæ ædes ædificatæ fuerant. Circumcirca cum ad litus, tum verſus campeſtria plurimæ ſunt ædes, quarum potior pars a nationibus exteris habitatur: vt ſunt *Malaici, Bengali, Guſarates, & Abyſſini*, quorum magna ibi eſt copia. *Sinenſes* partem occiduam inhabitant, quibus Luſitani ſe iunxerunt: vbi & nobis habitatio ordinata erat, quæ a parte campeſtri vallo forti circundatur, & palude fortificatur: quare ex ſitu naturaliter defenſioni aptus eſt locus: & a parte vrbis habet maiorem defluxum aquæ totius vrbis. Quod ſi putei aquæ dulcis ibi fodi poſſent, facillime & minimis expenſis arx ædificari poſſet, demoliendo vrbis murum, ex oppoſito huius loci, & ſecundum litus, & lapidibus vitendo ad ædificationem muri ejuſdem arcis: cum quo impediri poſſet, quod nec naviculæ, nec biremes, nec *Paraos* poſſent e civitate navigare: nam reliqui canales nimium parvi ſunt, vt Paraos navigare poſſent. Præterea vadum extendit ſe tantum in mare, vt glandes tormẽtorum, quæ vulgo Sacren dicuntur, vi privarentur, adeo vt nullam in arcem violentiam efficere poſſent, ejectæ ex aliquibus navibus magnis: optandum eſſet, vt Luſitanos ea in re nos prævenire liceret, præſertim ſic faciendo, non ſolum poſſemus obtinere aromata ſive ſpecies Iavæ, ſed quoque quæ exhibent Inſulæ *Molucca, Ambon, Banda, Timor, Solor, Macaſſer*, & plures aliæ: quarum ſuo tempore latius mentionem faciemus. Nunc vero de illorum foris, negociationibus & mercibus aliquid tractabimus.

Sinenſium habitatio.

Nota.

Forum in magna forma diviſum.

De Foris, negociationibus & mercibus Civitatis Bantam, *menſuris & ponderibus.*

CAP. 22.

IN die triplex forum habet *Bantam*, ubi merces omnes venduntur. Primum, amplus eſt locus ad id ordinatus in parte vrbis Orientali, ubi mercatores omniũ nationum in principio diei comparent: ſcilicet, *Luſitani, Arabes, Turci, Sinẽſes, Quillins, Peguſij, Malaics, Bengali, Guſarates, Malabares, Abyßins*, alijque ex omnibus partibus Indiæ, ad negociandum: quod durat in horam nonam ante meridianam; tunc quilibet recedit quo placet. Nunc vt narremus merces quæ ibi venales extant, auſpicabimur ab ingreſſu fori, euntes ſecundum domos, & revertemur ſecundum aquam: Veniens vero in fori principio, ubi Delubrum eſt, cum vallo, ibi reperiuntur nonnullæ mulieres cum ſaccis, & menſura, quæ *Ganta* nominatur; quæ plærumque continet tres libras Piperis, ponderis Battavi: quod a ruſticis Piper adferentibus, hæ mulieres emunt, ſolventes pro qualibet *Ganta*, octingentas aut nongentas *Caxas*; qua in re plurimum ſunt exercitatæ. Sunt ibi quoque Sinenſes, qui aſtutiores ſunt: qui videntes ruſticos advenientes, eunt obviam, interrogantes quanti faciant id quod habent, habentque ſtateram cum pondere ad vnam partem, & ſacculum in quo Piper effunditur, ad alteram partem, ne decipiantur. Intra vallum veniens, vtrinque multæ ſunt mulieres, quæ venalia habent, *Areccam, Betel, Melones aqueos, & Bannanas*: poſt quas aliquæ ſunt quæ liba parant, & calida vendunt. Hæ cum præteritæ ſunt, venitur ad locum, vbi ad dexteram arma ſunt venalia, quæ viri vendunt: ſicque tormenta ænea vulgo *Baſſen*, Pugiones, quos *Criſſen* nominant, haſtarum mucrones, Cultri, aliaque arma: ſimiliter & Santalum album & rubeum. Ad ſiniſtram vero, Saccharum, Mel, & confectiones omnes. Iuxta eſt Forum Fabarium: ibi venales ſunt Phaſeli albi, nigri, rubei, Crocei, virides & Cinerei, qui menſura venduntur: nempe *Gantan* trecentis *Caxis*. Tunc ſequitur Cæpe, & Allij forum, vbi penetrari non poteſt. Ante hoc forum deambulant Mercatores; Maguarij, qui pannum lineum, aliaque mercimonia in ſolidum venalia habent: & pecuniam exponunt ad itinera, vt duplam recipiant, cum Iter bene ſucceſſit: ſed nave amiſſa mercator expoſitam pecuniam amittit. Hic ad dexteram eſt forum volatilium: vbi Gallinæ, Anates, Columbæ, Pſittaci, aliaque volatilia, venalia ſunt. Hic trivium eſt: cuius prima via ducit ad Sinenſium officinas: altera ad forum Olitorium; tertia ad forum Cupedinarium. Vadens ad officinas Sinenſium, primum habes ad dexteram Gemmarios aliquos *Coracones* & Arabes, qui aliquos Pyropos viles, Hyacinthos, Spinellos, Balaſios, Granatos, & Robaſſos, venales habent. Ad ſiniſtram ſunt *Bengali* & alij, qui omnigena minuta ferramenta, & merces minutas exponunt: retro horum ſtilmata, habent Sinenſes ordinem ſtilmatum, qui venalia exponunt bombycinum filum cuiuſcunque generis, & pulcri coloris, pannum ſericum, & Damaſcenum, Holoſericum, tramoſericum, filum aureum, & diachryſon, Catinos Porcelanios, egregiaſque ſportulas cum Lacca, pelviculas æneas, magna & parva pocula ænea fuſa & fabricata, Argentum vivum, elegantes ciſtulas, Papyros diverſorum colorum ad ſcribendum, *Diaria*, Aurum foliatum, ſpecula parva, pectines, ſpecilla ocularia, Sulphur, Machæras Sinenſes, cum vaginis Lacca obductis, radicem Chinam, flabella, Vmbellas; quorum ſtilmatum duæ plateæ ſunt vtrinque plenæ. Secundam viam vadens, habet Bengalos ad dexteram, & eorum ſtilmata cum ferramentis minutis. Ad ſiniſtram eſt forum lintearium virorum, & iuxta illud forum lintearium mulierum coniugatarum, cuius ordinem nemo poteſt ingredi, niſi ſub gravi mulcta. Paulo vlterius ab vtraque parte eſt forum Pomarium, & Oli-

Triplicis fori deſcriptio.

Merces quæ extant venales.

Vniverſi fori deſcriptio.

& Olitorium, vbi diverſæ herbæ & fructus, noſtris diſſimiles, venales ſunt: noſtris verò ſimiles, ſunt Mala aurea, Citria, Medica, & Punica: forum hoc in finem viæ huius pertinet: ſed domum redeundo, habes forum Piſcarium, vbi varij piſces venales ſunt: iſtinc ad ſiniſtram habes Carnium forum, vbi egregia habes ſtilmata, carne bovilla, Cervina, & Bubalina repleta. Mox ſuccedit forum Aromatum, ubi mulieres ſedent in ſtilmatibus, quæ minutatim vendunt aromata: vt ſunt, *Zingiber, Zedoaria, Zerumbet, Macropiper, Cubebe, Aniſum, Fagara, Calambac, Carro, Santalum, Coſtus Indicus, Nardus, Iuncus odoratus, Calamus aromaticus, Radix China, Rhabarbarum, Galanga, Semen Zedoariæ, Feniculi, Aniſi, Coriandri; Bangue, Datura, Cannapit, Cantior, Sanparantan, Curcuma, Pontiou, Cato, Gambeir, Saſari Daringi, Tagni, Caxumbi, Tuanco, Mundian, Mainpodi, Sari, Brauhan, Darin Tuio, Tagati, Intahan, Sambaia, ſalane, Paravas, Tomon Puce, Benzoin, Saga* alba & nigra, multaque alia quarum nomina mihi exciderunt. Hîc ad dexteram reliquimus forum Oryzæ, cuius quantitas magna in ſaccis exponitur, multoque maior in naviculis, quæ iuxta forum ſunt in canali. Locum hunc perſequens, forum figulinum ſequitur, & iuxta illud ſacculorum forum. Storearum forum, & Salis forum, vbi quantitas magna Salis groſſi iacet, quod Ioartan, alijſque prædictis locis adfertur, aut alio tranſferendum, aut ibi conſumendum. Ad ſiniſtram eſt Olei forum, *Cocos* forum; ſicque ad primam viam reditur, vbi Mercatores & Naucleri deambulant, qui omnibus in regionibus negociantur, & navigant.

Delineatio ad vivum Gubernatoris Bantam, Chipate *dicti qui noſtro tempore authoritate Regia gubernabat: quia pater erat vnius ex vxoribus Regis, & a populo ad hoc munus electus, Quomodo audientiam dat ijs, qui via iuris aliquid perſequuntur. Hic adiunctus eſt Epiſcopus aut* Ceque *maior, iuxta illum ſuper terram ſedens: Qui mittitur* Mecha per Gidda, *ſicut Legati Roma mittuntur, cum ſuis comitibus & miniſtris illi aſſidentibus; & quomodo alij accurrant inclinati, vt & ipſi aſſideant, & colloquantur.*



Menſura qua Piper vendunt, capit libras tres cum quadrante, quam Ganta nominant. Habent & aliam, quâ menſurant Oryzam, Salem, Phaſelos, aliaque plura; quæ maior eſt, & 4. Libras Piperis capit. Cum Piper vēdunt magna quantitate, per ſaccos vendunt: & quilibet ſaccus ponderat 45. *Cates*, aut libras 56.: ſi minus tradunt, reſiduum tibi detinent, ponderans quilibet *Cate* 20. vncias: ſed diligenter cavendū eſt ne a Iavanis, alijſque decipiaris. Accidit enim ſæpe, quod exiguos lapillos nigros cum Pipere miſcent, quod vix percipi poteſt, niſi diligenter inſpiciatur. Præterea optime proſpiciendum eſt, vt Piper ſit perſiccum & purum. Hoc foro facto, incipit ſecundū in loco qui *Paceban* dicitur, aut planum Regis, vbi omnis annona venalis eſt, & ab Incolis Piper aliquod Sinen- Piper quomodo venditur.

 ſibus

ſibus venditur. Hoc durat in meridiem vſque, & per totum diem. A meridie forum eſt in regione Sinenſium, vbi quoque omnigena annona; Capræ & Gallinæ venduntur: quod fit ſingulis diebus; qua in re Sinenſes diligenter ſe exercent. De pecunia illorum agemus, in capite vbi de Sinenſibus fiet mentio.

Religio Iavanorum in Bantam, & quomodo ſimul converſantur.

CAP. 23.

Religionis Iavanorum deſcriptio.

IN maritimis Iavæ habent fidem Mahumeticam: qui campeſtria inhabitant, ſunt Ethnici, legem Pythagoricã obſervantes: nam pro certo habent, quod moriente homine, mox ſpiritus aliud occupat corpus: quare nihil edunt quod vitam habuit, multoque minus aliquod animal occidunt, ſed cibant & educant. Ad Oram Borealem Iavæ ſunt Mahumetani, cuius Alcoran diligenter obſervant. Quatuor Prophetas tantum agnoſcunt, nempe Moiſen, Davidem, Ieſum Chriſtum, & Mahumethem. Sua templa habent, aut Meſquitas, in quibus ſuas ceremonias obſervant, magno cum ſilentio, humiliter faciem ad Solem vertentes, in faciem cadentes ſuper terram, pluribus vicibus legentes horas aliquas, Monachorum more, quas omittere non poſſunt. Duas habent Quadrageſimas in anno: ipſorum Quadrageſima magna incipit die 5. Auguſti, duratque dies 40., & tũc cum omnibus ſervis, & tota familia Paſcha celebrant, pauperes & divites, ſedentes tanquam Sartores in circulo, in terra ſimul edentes: vbi ipſorum Magiſtratui aut ſuperioribus obedientiam exhibent, & reverentiam; demulcendo ambabus manibus, a pedibus aſcendentes, & deinde ambabus manibus faciem vſque ad occipitium: quod ſingulis annis fit, vt dictum eſt, die 5. Auguſti. Vxores eorum, nempe quæ alicuius authoritatis ſunt, nunquam conſpiciuntur: quas plures habent, nempe 12. aut minus. Habent inſuper plures alias ſervas Concubinas: ſicuti nobis ibi exiſtentibus, *Sabandar*, qui filio ſuo minori tradidit in vxorem vnam ex affinibus, cum dotans 50. viris, 50. feminis, & 40. puellis innuptis, cum ter centum mille *Caxas*, quæ noſtra moneta valent 25. Regales ex octo computando 12000. *Caxas* pro Regali: & his omnibus feminis poſſunt concumbere: quæ proles parientes, non poſſunt vendi: & naſcuntur omnes vxoribus ſuis, ſicut Hiſmael Saræ natus fuit: ſed ex his multæ proles ab vxoribus e medio tolluntur. Cum in vxorem ducunt vnam ex affinibus, nec Sponſus, nec Sponſa exeunt ædes ante diem conſummationis nuptiarum. Cum nuptiarum diem celebrãt, omnes eorum amici, miniſtri & ſervi, eleganter veſtiti ſunt: & in ædibus & Sponſi & Sponſæ ſunt erectæ multæ haſtæ, albis & rubeis finibrijs Goſſypinis ornatæ, vt in hiſce regionibus ſunt equitum haſtæ, cum parvis vexillis: & ſigna militaria: tormentorum cameris egregie tonantes, cum ſclopis nequaquam vti norint. A Meridie adducitur Sponſo equus ſellatus, quem aſcendit, totamque per vrbem equitat vſque in veſperam, & donec Sponſam accedit, quo interim quod abfuit ſervi venerunt, qui pro dote marito dati ſunt, quilibet donum adferens; cui adiuncta dos eſt eleganter ornata. Tunc apparatur convivium, vbi Parentes Sponſi & Sponſæ cœnant: quibus recedentibus Spõſus & Sponſa vno ſub tecto collocantur, quod vndique cortinis cinctum eſt: vbi concumbunt: & deinde Sponſa nunquam alijs viris conſpicua fit. Raro videntur Iavani quin ſemper mandant *Arecca & Betele*, calce commixta; quod eorum os rubefacit, & dentes nigros reddit, quos plerumque limant, & quadam herba ſplendentes reddunt vt aurum: & quamvis ipſum Regem alloquantur, non ideo deſinunt mandere Betele: nec non ſe invicem viſitantes, in medio ponunt ciſtulam cum Bettele, offerentes illis qui eos inviſunt ex ipſorum Bettele: nec non ex eodem in eius mittens ciſtulam, vt in imagine videri poteſt. Inſuper cum alter alteri vult aſſidere, ibique ſedeat aliquis qui maioris ſit authoritatis, inclinati veniunt accurrentes, donec aſſideant, ſemper mandendo Bettele, vt dictum eſt.

Duas habẽt Quadrageſimas in anno.

Modus quo Sabandar filium nupſit.

Nuptiarum deſcriptio.

Mandunt ſemper Bettele cum calce.

Delineatio ad vivum, quomodo vrbis dux aut Princeps, ſuis comitatus nobilibus, per plateas Bentam *incedit: quem vnus aut alter haſtam gerens, & alter gladium largum, precedit: cacula vero & miniſtri eum ſequuntur, portantes ciſtulas eius cum Betele, poculum aquarium, & Umbellæ. Vides preterea ſervos, Mechanicos, & Mercatores, qui a latere, Calcaneo inſident, donec Princeps preterierit.*



Quomodo dux aut Gubernator vel Princeps ad Paceban vadit.

CAP. 24.

CVm quis ex ſuperioribus, quos duces vocãt, ſuo cum comitatu *Paceban*, aut Regis palatium accedit; iubent ante eos portare vnam aut alteram haſtam: ac gladium vagina rubea aut nigra holoſerica, pro eorum qualitate: & quem talis haſta præcedit, huic nemo ſervorum, aut mechanicorum obviam audet ire; ſed cedere debet lateraliter, calcaneo ſuo inſidens, donec Princeps ille, aut Dux preterierit: tunc rurſus pergunt. Superbiſſimi ſunt, & arroganter incedunt: portantes lintea aliqua filo aureo texta, & in capite Cidarim ex ſubtiliſſima ſindone Bengalica, Telæ Cameracenſi aut Byſſo ſimili. Nonnulli gerunt amiculum manicatum ex Holoſerico, aut nigro vel rubeo panno. Pugionem cingulo aut ante, aut retro infigunt, cui ſe fidunt. Miniſtri ſequuntur, portantes, alter ciſtellam cum Bettele, alter poculum aquarium, tertius vmbellam ſupra eius caput, quæ Solis ardorem arcet. Pedibus nudis omnes incedunt, & ignominioſum eſſet calceos portare: ſed in ædibus calceant aliquos ex corio rubro, qui in Sinarum regione, *Malacca*, aut *Achen*, conficiuntur: ſicut & Vmbellæ. Modus eundi ad Curiam.

Arma & militia Iavanorum.

CAP. 25.

IAvani pertinaces, infidi, perverſi, & crudeles ſunt, qui vincentes nemini parcunt. In furando adeo induſtrij, vt omnes ſuperent: boni milites ſunt, audaces & impavidi; ſed tormentis & ſclopis vti neſciunt: quod ſi ſcirent domari non poſſent. Eorum arma ſunt ſariſſæ, mucronibus flammeis, vt & pugiones, quos Criſſen nominant, Machæræ & acinaces. Clypei ſunt lignei, aut ex corio circa circulum tenſo. Habent quoque arma ex Iavanorum natura. Arma Iavanorum.

 laminis

laminis ferreis, annulis ſimul concathenaris, vt hic delineatum vides. Plærunque capillos longos gerunt, vngues longos, & dentes habent limatos. Mandatis ſuperiorum ſunt obedientiſſimi, ad mortem vſque. Simili modo vindictæ adeo avidi, & natura fortes ſunt, vt ab inimico perfoſſi, in arma impingentes ſint ad inimicũ confodiendũ, & ſe vindicandum, quod vidimus & experti ſumus. Nulla habent ſtipendia, ſed belli tempore dantur illis veſtes, arma, & cibaria: vt ſunt Oryza & Piſces, ſuntque omnes ſervi, qui cum opus eſt, vocantur; aut cum expeditio aliqua deliberata eſt ad aliquem ex improviſo opprimendum: cui rei maxime idonei ſunt. Præcipuæ opes Iavanæ ſunt apud Proceres, & qui plures opes habet, dirior & potentior æſtimatur. Raro ſunt ocioſi, ſemper aliquid præ manibus habentes: aut facientes vaginas ligneas ſuis Pugionibus (quos tam induſtrie educere norũt, vt dictu mirum ſit) ex ligno Santali; aut arma repurgant, quæ plærunque veneno illita ſunt aut fabricata, vt vulnus lethale infligerent: & ſervantur adeo ſplendida & acuta, vt tanquam novaculis ſcindere queas: quibus adeo ſe fidunt, vt die, noctuque ſine illis dormire non audeant: ſed nocte abſcondunt ſub cervicali; nec ab alio manibus tractari ſinunt, ne proprijs armis opprimantur; quod facile fieret: nam in omni genere proditionum docti ſunt: & frater fratri non fidit, nec alter alterum vult alloqui, niſi pugione munitus. In atrio habent tres vel quatuor duodenas haſtarum & clypeorum: & in areis ante atrium habent plærunque nonnulla tormenta, quæ *Baſſen* vocantur, ſed raro pulverem pyrium. Vtuntur quoque fiſtulis ſive cannis, e quibus ſagittulas efflant intoxicatas, quæ circa cuſpidem habent duas crenas, vt cuſpis venenoſa, quæ ex piſcis dente facta eſt, romperetur, & in hominis corpore putreſceret: nam, vt prædictum eſt, ſclopis neſciunt vti; vt accidit cum ibi eramus, quod quidam incola poſtquam a nobis doctus fuiſſet, quomodo oneraret & eo vteretur, cum feram petere vellet, & accepto ſclopo muſceto quod a nobis acceperat, exijſſet ad iaculandũ feram, occurrentem bovem ſylveſtrem, quorum copia ibi eſt, iaculavit eo modo, vt ipſe æque ac bos, in terram ceciderit, duobus ex ſuis dentibus evulſis, & oris inferius os ruptum habens: quare diu iacuit in terram Syncopen patiens poſtratus: tandem convaleſcens, ſatisfactum ſe tenuit, quod Bovem occiderat: ſed poſtea noluit amplius ſclopo exire ad iaculandum.

Præcipuæ opes inter proceres Iavo, conſiſtũt in multitudine militum.

Cannæ ſive fiſtulæ cum ſagittulis pitoxicatis.

Delineatio ad vivum, militum Bantam, cum eorum armis, armaturis, & gladijs: Armatura facta ſunt ex laminis quadratis, annulis parvis ſimul concathenatis. In prælio ſariſſis vtuntur longis, magnis & levibus ſcutis ex corio: fiſtulis ſeu cannis, quibus efflans ſagittulas intoxicatas ſed raro ſclopis: vtuntur pugionibus flammiformibus, quos Criſes nominant, quibus maxime fidunt, & inimicũ invadũt: quare per vniverſam Indiam celeberrimi & audaciſſimi milites æſtimantur: pertinaciſſimi ſunt, ſubtiles & agiliſſimi ad ſuperandũ, & vt nemini fidunt, ſic minime fidẽdi.



Effigies

Effigies Mercatorum in Bantam, *cum accedunt* Banas *& forum magnum, cum eorum veſtimentis: qui Mercatorem advenam egregie fallunt & decipiunt. Pręcipua ipſorum negociatio eſt, in Oryza, Annona, & Sales quæ ſecundum litora emunt vili pretio, &* Bantam *vendunt, ubi cara ſunt, ob exterorum multitudinem, & navium locationes verſus* Malacca: *quo ſingulis annis annona multa vehitur, & cum lucro venditur: quia omnes naves annonam advehentes,* Malacca *a vectigali immunes ſunt: quod accidit, quia per ſe nihil producit, ſed cuncta alijs ex locis adferri debent: idcoque facile fame premi poteſt.*



De Mercatoribus Incolis Bantam, *eorum negociatione, autographis & obligationibus.*

CAP. 26.

Mercatorũ Bantam cõditio.

INcolæ mercatores valde doloſi & fraudulẽti ſunt, adveniſque male fidi, & ſimulatores, nõ quidem Incolæ inter ſe mutuo. Negociantur in omnibus circumſtantibus inſulis, auferentes & adferentes varias merces. Inſulis *Macaſſer* & Sombaya Oryzam adferunt Bantam, quæ Malaice *Bras* nominatur: valent ibi plærunque tres menſuræ, quas *Gedeng* nominant, (quarum ſingulæ æquivalent ſeſqui *Ganta Bantam*) mille *Caxas*, quæ æquivalent $7\frac{1}{2}$ denarijs Flandricis: & venditur *Bantam* per *Gantan*, nempe duæ aut tres *Gantan* pro ratione temporis, mille *Caxas*. De his nummis fiet mentio Capite de Sinenſibus, & computũ ponemus, prout nos illos emimus. Avehitur quoque inde in *Malacca*. Ex vrbe *Ballambuan*, advehuntur multæ Nuces Indicæ, ſive Cocos. Emuntur ibi centum, pro mille *Caxas*, & *Bantam* octo pro *Sata* vnum; ſive 40. pro mille *Caxas*. Advehitur quoque illinc Olei *Cocos* copia in magnis ollis. *Ioartan, Gerrici, Pari, Iuama*, & locis vicinis, Salis groſſi copia adfertur. Plærunque emuntur 800. *Gantas*, 150. mille *Caxas*, & *Bantam* venduntur tres *Gantas* mille *Caxas*. Idem transfertur in Sumatram, nempe *Barros, Speriamon, Tolombavan, Andragiri, Iambe:* vbi commutant Lacca, Pipere albo & nigro, *Benzoin*, Goſſypio, Teſtudinis operimentis, quæ *Tartaruga* nominant, alijſque mercibus. Cæra *Bantam* adfertur, *Iacatra, Cranaon, Timor, Palinban* & *Bandermachen* & pondere venditur. Ex prædictis quoque locis mel adfertur magna copia: valet plærunque olla, quæ continet 13. amphoras noſtræ menſuræ fere, ter aut quater mille *Caxas*: Saccharũ quoque *Iapara* & *Iacatra* advehitur non tamen magna copia, nec albũ: ſimile illi quod vocamus Saccharum

Eorũ negociatio:

charum obſcurum. *Cranaon & Bandermachon* adfertur piſcium exiccatorum copia. Ferrum adfertur *Kerimata* magna copia, ſita in termino Occiduo *Borneo:* & Reſina, e *Bandermachen* & *Ranta*, quæ inſula eſt alta. Metropolis, Banica dicitur, vbi aqua dulcis habetur in profundo 3. orgyiarum Stannum & Plumbum advehitur *Pera* & *Cuſelan*, circa oras *Malacca* iuxta *Cuda*. Goſſypium, & veſtes, *Bali*, *Cambaya*, alijſque locis adferuntur: quæ ſpeciatim nominabimus ſuis nominibus, & quas edunt merces, & deſiderant. Mercatores divites plærunque domi manent; ſed cum naves aliquæ littus ſolvere volunt, tunc ijs qui vna navigant pecuniarum ſummam dant, vt reddant duplicatam, plus aut minus pro itineris longitudine de qua Autographum tradunt: quod ſi iter feliciter ſucceſſerit tunc Creditori ſatiſfit, pro contento Autographi: & ſi debitor non poſſet ſolvere per aliquod infortunium, tunc debet vxorem & filios in pignus tradere, donec debitum ſit ſolutum, niſi navis perierit: tunc Creditor datam pecuniam amittit. Hæc autographa, & cuncta alia ſcribuntur ſtylo ferreo in arborum frondibus, quas in rotulas formant: ſed ſi libri ſunt, duabus ligneis tabulis, cum funiculis ſunt egregie ligati. Sinenſium quoque in papyro omnis coloris ſcribunt, quæ ſubtilis & perpura eſt: vel etiam in papyro, quam ex arborum interiori cortice faciunt. Typographia carent, ſed egregie pingunt, idque ordinatim. Characteres tantummodo 20. habent, quibus omnem illorum linguam ſcribunt. Malaica lingua illis familiaris eſt, nec non characteres, quæ aptiſſima eſt lingua, & facillime diſci poteſt: qui illam novit, non ſolum per totam Indiam, ſed in cunctis inſulis intelligi poteſt. Habent & ſcholas, in quibus Arabica docetur lingua.

Autographi contentum.

Papyrus, & pugillaris huius regionis.

Effigies Mercatorum advenarum Civitatis Bantam: *veſtitus ratio, eorumque negociatio: diſcernuntur per literas Alphabeti.* A. *Perſa eſt aut* Coraçonæ; *qui Gemmis negociatur.* B. Arabs *eſt, qui mari ex inſula in inſulam negociatur, qua in re expertus eſt.* C. Peguſius *eſt: populus ſubtilis, & induſtrius, omnis mercaturæ notitiam habens, & eandem tractans: Pegu ſingulis annis navis* Bantam *venit vt alias merces Pipere commutet.*



De Mercatoribus alienigenis habitantibus & negotiantibus Bantam.

CAP. 27.

PErſæ, qui a Iavanis *Coratone* vocãtur, plærunq; ſunt Gemmarij, aut Medici: viri ſunt egregij, prudẽtes, & benigni, quibuſcũ rationabiliter negociari poteſt: advenis ſunt addicti: & reliquas nationes omnes, ibi negociãtes, civilitate ſuperant. Arabes & Peguſij ſunt qui maxime mari negociantur, avehẽtes & advehẽtes merces ex vrbe in vrbem, & multas Sinenſium merces ementes, quas mercibus vicinarum inſularum commutant; ac Pipere; quod ſervant in reditum Sinenſium. *Malaici Quillini* mercatores ſunt qui pecuniam dant ad vſuram, & itinera, & navium reditus. *Guzarates*, cum pauperes ſint, plærunque pro nautis vtũtur, ſuntque qui pecuniam accipiunt, ad navium reditum: quam ſæpe duplant & triplicant. Veſtiuntur, vt in Icone poteſt conſpici, panno Goſſypino, *Cidarin* in capite geſtantes. Cum *Bantam* veniunt, feminam emunt, quæ illis die ac nocte inſervit: domum vero cum rediunt, feminam revẽdunt: quod ſi ex illa proles habuerint, illas ſecum ducunt, feminam ibi liberam relinquunt: tunc eam vendere non poſſunt: quæ deinde alteri matrimonio copulatur, & cum eo familiam alit.

Mercatorũ advenarum negociatio

Delineatio ad vivum Mercatorum advenarum Civitatis Bantam: *veſtium forma, quibus vtuntur.* D. *Malaicus Mercator, qui pecunia negociatur, tam dans ad navium reditum, & Itinera ſive peregrinationes.* E. *Quillini effigies, qui ſimili modo pecuniam ſuā fœneratur. Emunt quoque Sinenſium merces, quibus receſſis, iterum vendunt.* F. *Feminarum, quas habent effigies, & veſtitus forma.*



Sinenſes, ipſorum negociatio, & vivendi ratio.

CAP 28.

Sinenſium habitatio. — Quomodo Piper emũt & vendũt. — Nummorũ forma & qualitas. — [illegible]

SInenſes habitant *Bantam*, in vna vrbis parte, ſoli per ſe; quæ forti vallo circundatur, & palude munita eſt, in qua pulcriores vrbis ædes poſſident. Populus in ſua negociatione maxime induſtrius, & lucrandæ pecuniæ avidiſſimus, ſed & ſplendide vivens. Cum primo e Sinarum regione accedunt, feminam emunt, vt de alijs mercatoribus dictum eſt, quæ illis ſervit, donec domum redire volunt, quam tunc revendunt, abducentes quas procrearunt proles. Sinenſes qui hic habitant, ſunt qui a Ruſticis Piper emunt, villas ſuis ſtateris accedentes, ponderantes primo, vt ſcirent quantum Piperis ſacculus continet; deinde offerrent, ſecundum quod vident pecuniarum indigos eſſe: ſic Piper congregant in navium Sinenſium adventum: tunc eis duos ſaccos vendunt *Catti* vno, aut 100000. *Caxas*, qui eodem pretio 8. ſaccos aut plures emerunt. Harum navium ſingulis annis 8. aut 10. *Bantã* appellunt menſe Ianuario, quarum ſingulæ onera 25. vehere poſſunt, nec plura; quia inferius anguſtæ ſunt ædificatæ, non ventricoſæ: quare maiores apparent. Nummos adferunt qui in *Bantam*, tota Iava, & in circumiacentibus inſulis curſum habent: qui Malaica lingua *Cas*, Iavanica *Pitis* dicuntur: minores ſunt noſtris octonarijs ſtuferi; ex plumbo fiunt Cupri ſpuma commixto: quare adeo fragiles ſunt, vt decidente faſciculo, 8. 10. 12. aut plures rupti inveniantur: & cum per ſolam noctem in aqua ſalſa macerantur, adeo conglutinantur, vt illorum dimidium ſeparando rumpatur. Nummi iſti in Sinarum regione formantur, in vrbe *Chinchen*, ſita ſub Poli Arctici altitudine 25°. graduum: qui anno 1590. primum adferri ceperunt, & a rege *Hammion* iam regnante formati fuerunt, eo quod huius Regis prædeceſſor Wontai dictus, conſideraſſet *Caxas*, qui a Rege *Hoyien* formati erant ante 20. annos, multitudine Inſulas implerent: qui in Sinarum regione curſum non habent: vbi cuncta particulis argenti emunt & vendunt, quæ *Conduri* (qui ſunt exigni Phaſeli rubei, ex vno latere maculam nigram habentes, Latine Abrus dicti) ponderantur. Mercatores Sinenſes tanta copia hos nummulos ex Sinarum regione ſecum ferentes, quod non poterant conſumere; huius viliſſimæ monetæ inventores ſunt: vt uſu frangentes perirent. Quod hic Rex conſiderans, adhuc viliores formari curavit. Stramine ſimul infilantur (qui foramen quadrangulum in medio habent) ducenti, qui *Sarac* vnum efficiunt, & noſtræ monetæ ſeſquidenario æquivalent: & quinque *Sarac* colligati, mille Caxas efficiunt, quod Sapoco nominant. Horum nummulorum 12. aut 13. mille, vno Regali ex octo emimus. Ex primis *Caxas* pauci reperiuntur, qui fere omnes perierunt, nec in Iava amplius curſum habent. Cum primum hi nummuli ederentur, pro decem mille emebantur ſex ſacci Piperis: ſed nunc cum Sinenſes appellunt, tantummodo duo, & raro $2\frac{1}{2}$ ſacci emuntur pro 100000. *Caxas*, qui nunc curſum habent. Adferunt quoque vaſa Porcelania, egregia, & viliora; quorum 5. aut 6. catini emi poſſunt, menſe Ianuario, cum primum appellunt, 1000. *Caxas*; ſed alio tempore tantum duo, raro tres. Adferunt quoque filum ſericium cuiuſcunque generis & coloris: & pannos ſericios 14. aut 15. vlnarum, & plures alias merces: qui de his certior eſſe quærit, legat Caput in quo agitur de Tabernis eorum, quas habent in foro magno, ſive *Baſar*. Diximus ſupra de pondere *Conduri*: nunc ſciendum eſt, quod multi Regales ex 8. Sinam vehuntur, qui ibi curſum non habent, cum nulla ibi ſit Moneta: ſed diſſecantur in particulas, *conduri* ponderatas: quarum 10. *Mas* efficiunt; & 14. Mas efficiunt Tayel vnum, æquivalens 12. Regalibus ſimplicibus. Omnem quoque Laccam emunt, quæ *Tolonbavan* venit, vbi plurimum abundat, quam orbiculis precarijs permutant: ſed fluvius adverſo fluctu navigandus eſt. Similiter & *Anil*, quod Anier in ollis conditur: & Santalum, & Nuces odoratas, Caryophyllos, & *Tartaruga*, quæ Teſtudinis operimenta ſunt, ex quibus in Sinarum regione elegantes ciſtulas componunt: Elephantum dentes, ex quibus elegantes ſedes fabricant, quas pluris faciunt quam Argentum: nam in ijs feruntur *Mandorini* ſive Proreges. Sunt in operibus ſuis mechanicis adeo ſubtiles, ut omnes nationes ſuperent. Bantam plurimum ſe exercent Sinenſes, vini ardentis diſtillatione ex Oryza & Nucibus Indicis, qua in re valde induſtrij ſunt.

Sinenſium Religio & Oeconomia.

CAP. 29.

SInenſes, etſi credant vnum Deum eſſe, qui cuncta creavit, tamen Diabolum adorant, quem habent in ipſorum Templo pictum, & delineatum; qui in altum ſedens in loco obſcuro, triplicem coronam in capite gerit, cum facie terribili, habens in manibus & pedibus vngues, & faciem horribilem in ventre. Ante hanc imaginem in genua procumbunt, caput contra terram percutientes: & tunc illi oblationem quam attulerunt, offerunt, nempe fruges aliquas aut fructus, aut alia; & ſuper altare portant, ponentes ante horribilem hanc picturam, redeuntque ad locum, ubi in genua procumbebant & incipiunt capite illi annuere, donec ipſis videatur, quod

quod horribilis hæc effigies ſatiata ſit. Tunc catinum & munus domum deferunt, & cum tota familia manducant. Qui cum a nobis interrogarentur, quare Diabolum adorant, & munera offerunt, & non Omnipotentem Deum: reſpondent non opus eſſe reconciliari omnipotenti Deo, cum bonus ſit, & nemini malum inferat: ſed quod oblationem hanc Diabolo offerunt, & ipſum adorant, vt ille, qui malus eſt ſpiritus, ipſis nullum inferat malum. Id quod nos experti ſumus, eſt quod nos nobiſcum habentes aliquas imagines impreſſas, & inter alias imaginem extremi iudicij & inferni, quas naturalibus Sinenſibus oſtendimus, (nam alij adhuc ibi ſunt Incolæ, qui diu ibi habitaverunt, & Mahumeticam fidem receperunt) & Diabolorum imagines monſtravimus, quas digito expunximus: illi vidẽtes adeo excandeſcebant, quod præ ira pedibus pulſabant tanquam homines ſylveſtres, dicentes diabolum in ſupernis eſſe, qui ob infamiam, qua vſi ſumus in eius imaginem, nobis multa mala infligeret. In ædibus ſuis plerunque occupati ſunt, in diſponendis mercibus, & ordinandis. Sub veſperam conveniunt in ædibus vnius aut alterius, & aliquando pernoctant tripudiando, vbi & plures veniunt larvati, diverſis larvis.

In Oeconomia valde mundi & politi ſunt, ſoliciti plurimum ad lucrandum expenſas, & nullo labori parcentes: quibus lucratis, ſplendide vivunt, invicem ad convivium invitantes: qua in re hoſpitales ſunt, & invicem ſæpius inviſentes. Plures habent feminas emptas, quibus vtuntur, vt dictum eſt: & inſuper conductitios & emptos ſervos, quos ad omnes partes mittunt, ad Piper, aliaſque merces emendum: quos & alijs locant ad aliqua itinera quibus aliquod capitale dant, vt ad eorum commodum quid emant. Sinenſium Oeconomia.

Effigies primariorum Mercatorum Sinenſium, quomodo incedant; cui adiuncta eſt effigies femina quam emerunt, qua in Iava, quandiu ibi reſident, vtuntur. Inſuper effigies eius qui a Ruſticis Piper emit in villis, ſua ſtatera illud ponderans, & reticula in capite, veſtitus veſte cerulea obſcura, manicis amplis, & caligis follicantibus. Sunt inter ipſos & medici, quos quia veſtitu incedunt ferè vt Iavani, non appoſuimus.



Delineatio Templi aut Sacelli Sinenſium, vbi Diabolum, triplici diademate coronatum, adorant, & ante illum in genua procumbunt, offerentes fructus aliquos, ne malum aliquod illis inferat, & proſperitatem concedat; ibique certo tempore capite in terram iacent, donec ipſis videtur quod fructibus ſe ſatiaverit: tunc iterum ſurgunt, & fructus domum reportant, ſperantes eoſdem benedictos eſſe, & inde cum gaudio manducant.



Luſitani, quomodo in Bantam, *& vicinis inſulis negociantur.*

CAP. 30.

Quibus in locis Luſitani arces habeant.

LVſitani, vt omnibus notum eſt, ante annos centum negociati ſunt in India: quare omnibus in locis, ubi lucrari poſſunt, ſuas habent arces & propugnacula: nempe *Tidore*, quæ vna ex inſulis Moluccis, ubi Caryophyllorum copia creſcit, & ex reliquis vicinis inſulis aggregantur. *Ambon* & *Amboyna* ſimiliter multi creſcunt Garyophylli, & ſingulis annis iſtinc navigijs avehuntur: ſunt tamen Incolæ Luſitanis inimiciſſimi, ſēper cum illis pugnantes. Arcem quoque habent in inſula *Timor*, vbi colligunt Santalum album, & rubeum: & multis in locis Indiæ venale exponunt: nempe ad Oras *Malabar*, *Negapatan*, *Bengala*, *Charigan*, *Pegu*, *Martaban*, & *Aracan*: quibus in locis plurimi æſtimatur, & in magno vſu eſt; vendi turque magno lucro: nam In Timor, fruſtum, emptum pro portione panni linei, valoris duplicis Regalis; dictis in locis venditur 12. & 16. Regalibus. Luſitani quoque *Panaruca* habitant, oppidum in termino Orientali Iavæ ſitum, & *Bantam*, quibus in locis nullum habent Imperium, ſed ſicut reliqui mercatores negociantur. Olim arcem habuerūt in Inſula *Ternate*; quæ & vna eſt ex inſulis Moluccis: ſed 20. ſunt anni quod eiecti ſunt a Rege iam regnante; eo quod patrem eius veneno necaverāt: qui quamvis ſæpius tentaverint in eadem inſula locū occupare aliquē, vt anno 1591. accidit, cū eorū claſſe ad portum venerāt, ad occupandū; maluſque maior navis prætoriæ inprimis avellebatur tormēto, a Tormentario Græco eiaculato; eodem anno expeditionem ſuſpenderunt: quia in illis partibus nullæ arbores magnæ, ob magnam ſiccitatem, recuperari poterant, ad conficiendum malum. Sed vt de arcibus illorum pergam loqui, nullas habent alias in inſulis Indiæ Orientalis, ad Orientem freti Malaccani: quas vero habent ad Occidentem freti, prima & Metropolis eſt *Goa*; deinde *Conchin*, *Orimus*, *Diu*, *Damaen*, *Chara*, & aliquas ad oras *Malabar*, &

Cauſa quare Luſitani eiecti fuerunt Ternate.

vlterius in *Zeylaon*, *Columbo*, Malacca, Macaon in regione Sinarum, & Iapan: ſed ibi ſunt debiles. Sunt tamen omnibus in locis Indiæ ſparſi, ubi quid luri cadit, vt prædictum eſt; negociantos a loco in locum biremibus, levitatis cauſa. *Bantam* habitant extra vrbem iuxta Sineuſes; nam neutra harum nationum in vrbe habitare poteſt. Ipſorum negociatio eſt ibi comparare omnes Caryophyllos, Nuces odoratas, Macerem, Santalum, Cubebas, Macropiper, aliaque aromata, quæ in inſulis Indiæ Orientalis reperiuntur, quæ panno lineo, alijſque mercibus herorũ; qui Malacca habitant, commutãt, ipſis miſſis in illum finem: nam omnes fere ſunt iuſtitores Capitanei, Epiſcopi, & aliorum. Nec Templum, nec ſacellum hic habent; ſed *Panarucan*, vbi multi ſunt AEthiopes Chriſtiani. Caligas follicantes Indicas longas gerunt, vt moris in Perſia erat, & pedibus nudis incedunt, habentes ſemper ſervos aliquos retro euntes, & Vmbellam portantes: ſervantes gravitatem & magnificentiam.

Loci in quibus Luſitani degunt.

Luſitanorũ negociatio.

Luſitanorũ veſtes.

Luſitanorum Meſticos *aut* Mulatos *in* Iava, *&* Bantam *habitantium delineatio: mores & conditiones eundo & ſtando, vna cum veſtibus & armis: illorum ſervi ipſos ſequentes, & Vmbellam portantes ſupra caput illorum, qua a Solis ardore proteguntur: qui horum ſervorum magnum habent numerum ex omnibus nationibus; vt, alijs in regionibus exiſtentes, ſemper aliquem habeant, qui linguam intelligat.*



Magni Conſilij delineatio, quod Conſilium militare nominant, & Bantam plerunque noctu celebratur, cum res graves aliquæ ſunt præ manibus, concernentes aut Rempublica, aut Militia negocia, vbi omnes ordine ſedent. A. *Gubernator cum quatuor primarijs, tanquā Generalis Dux.* B. *Epiſcopus cum Senioribus.* C. *Architaluſſus, & Navarchi experti.* D. *Nobiles neutrales provinciæ.* E. *Sunt Malaici.* F. *Turci & Arabes.* G. *Nobiles adoleſcentes.* H. *Miniſtri & ſervi.*



Conſilij Magni, quod Conſilium militare vocant, tenendi modus.

CAP. 31.

Statutorum deſcriptio.

BEntam celebrant concilium, concernens tum particularia, tū Reipub. negocia, publice in area quæ *Pacebam* dicitur, poſt diei maximū æſtum: vbi quilibet comparere poteſt; nec non illi, qui lites forenſes habent, qui perſonaliter debent comparere, & cauſas ſuas met defendere: quare Cauſidici & Patroni ibi nihil mereri poſſunt, nec lites forenſes diu durare, vt in hiſce regionibus. Quæ vero Reipublicæ negocia concernunt, noctu lucente Luna reſolvuntur & concluduntur, ad quod illos adhuc movet ſuperſtitio antiqua, quæ, vt legimus, olim Perſis familiaris fuit. Nam adhuc hodierno die, cum Interlunio Luna prima apparitura eſt, tecta domus, & arbores aſcendunt vt Lunam conſpiciant, magnam lætitiam gaudiumque exhibentes. Sicque in Conſilio manent ſedentes donec Luna occaſum petit: tunc ſeparantur, & quilibet domum petit, vbi dormientes ſunt, donec cibus coctus eſt, cum una ex vxoribus aut Concubinis eorum, ſe exhilarantes. A Meridie ſedent, & audientiam præbent ijs, qui cauſas ſuas Conſilio (quod nocte ſequēte celebrabitur) proponi volunt. Simul congregantes, iterum omnes ſuper terram ſedent, vt dictum eſt: & in medio duorum, aut quatuor ex primarijs, qui ordine ſedent, ſedet Rex, aut Gubernator, qui alijs cauſam proponit, & conſilium petit, qui & quo modo in eadem cauſa ſit procedendum: & opiniones interrogantur, a Primarijs & maioribus dominis inchoando, ad minorem vſque: & deinde concluditur, id quod conſultum videtur. Et ſi negocia concernit militaria, tunc citantur omnes Proceres, aut potius militum duces, qui numero ſunt 300.: nam omnis populus ſub illis diviſus eſt: & ſi expeditio aliqua determinatur, vnus ex 300. ordinatur, cui reliqui omnes obedientiam præſtant.

De Ruſſi.

De Ruſticis, Agricolis & Servis Iavæ.

CAP. 32.

Retro vrbem *Bantam ad Oras Sunda*, & radicem mõtis *Gonon Beſar*, vbi Piper creſcit; bonus habitat populus, qui nuper illuc migravit. Prius enim ad montem *Paſſarvan* (qui ſitus eſt in termino Orientali Iavæ) habitans, plurimum gravatus a Rege *Paſſarvan*, conſenſu Regis *Bantam* ſub certis articulis, huc venit commoratum, vbi oppidum fuit ædificatum, *Sura* dictum; in quo ipſorũ Rex habitat: reliqui vero hac, & illac in plures villas ſe partiti ſunt. Valde pacifice vivunt, agriculturam exercentes. Nihil edunt quod vitam habuit, in eo ſequentes legem Pythagoræ, & Brachmanum vitant. Valde ſobrij ſunt; Iauani omnes eiuſdem opinionis olim erant, antequam Alcoran, aut Mahumetica doctrina ibi doceretur. Nunquam matrimonium contrahunt, & indies plures Iavani ipſis ſe iungunt. Veſtiuntur papyro alba, ex corticibus interioribus arborum facta, cuius partem capiti circumvolvunt, linteoque magno corpus circundant: quæ cuncta ipſorum ſunt veſtimenta; veram Philoſophicam ducunt vitam. Hi Piper, & alios fructus, adferunt Bentam venales. Situs populi Bantam. Conditio Incolarum retro Bantam.

Agricolæ Iavæ, ſunt qui a Rege, & alijs Proceribus agros conducunt, vt in hiſce fit regionibus, ſolventes ſecundum quod convenerunt, Oryzæ partem aut *Caxas*. Hi quoque, idem ſolventes, poſſunt, ſi volunt, alio migrare. Et hi dicuntur Regis *Captivos*.

Ruſticorum aut Villicorum delineatio, qui nuper conſenſu Regis, retro Bantam *migrarunt. Ipſorum conditio & vitæ genus; ſervant ſtricte legem Pythagoricam, quare nihil edunt quod vitam, aut ſanguinem habuit. Vxoribus carent, & ſolitarij manent per totam vitam. Philoſophico more. Ipſorum nutrimentum, ſunt Oryza, & herba. Inter ſe habent Regem, qui in urbe Sura habitat, ſita retro civitatem Bantam, in campeſtribus. Veſtes ſunt ex papyraceo panno, ex arborum interiori cortice factos habẽtes partem eiuſdem panni, capiti circumvolutam. Pedibus nudis ambulant.*



Servi Ban-

Servorum conditio in Bantam.

Servi Bantam, qui pretio empti ſunt, habitant horum aliqui in villis: quæ aliquorum propriæ ſunt; vbi cuſtodiunt poſſeſſiones herorum, & fruges & fructus colligunt, & domum mittunt: quas quoque aliquando conducũt, ſolventes pro qualibet arbore *Cocos* 1500. aut 2000. Caxas, poteſt curam gerere ne aliquid per dat: nam debet eſſe ſolutum: eaque de cauſa ſæpe foras it laboratum pro ſtipẽdio, ubi plærunque merentur 800. *Cax.as*, & victum ſingulis diebus; aut coxas mille ſine victu. Alij qui heris ſerviunt, præter victum & amictum nihil habent. Sunt & alij qui 6. diebus pro heris operantur, deinde 6. pro ſeipſis, & familia, ſive ſint piſcatores, aut alij; qua in re fidi eſſe debent: nam ſi depræhenditur quod aliquid ex lucro donatur, aut aufertur, magno ſubeſſent ſupplicio, qui aut alteri venderentur, aut compedibus includerẽtur. Similiter & feminæ: aliquæ enim ſedent in foro, aut *Baſar*, & vendunt quaſcunque merces vt ſuperlucrentur aliquam pecuniam, & quotidie certam ſummam præbeant. Aliæ domi texunt, aliæ nent, ita vt omnes occupatæ ſint, vt hero victum lucrentur. Cum aliquam ex eiſdem vendunt, tunc ducitur ex vna in alteram domum: & qui ſatis offert eam habet, ſint 5. Fardos (qui valent florenis novem) aut plus: Sunt & aliquæ quæ Caui vno, ſeſqui Catti, aut duobus non emuntur; ſed hæ non venduntur, ſuntque ex melioribus quas habet ſervas. Proles, quas ſervæ pariunt, domino pertinent, æque ac parentes, vt apud nos Oves aliaque animalia: & poſſunt cum eiſdem facere quæ volunt, non tamen occidere, ſine conſenſu Regis aut Gubernatoris.

Servorum conditio.

Delineatio tripudij cum virorum, tum mulierum ad ſonitum aliquarum arundinum, ſuper quas lamillæ chalybea poſita eſt, Organi modo, aut Clavetymbali: quibus cantu aut ryſhmo aliquo vtuntur, brachia & pedes extendendo, totumque corpus contorquendo, more Canum, qui nidum egrediuntur.



Delineatio

Delineatio pelvium, quos pulſant, omnemque ipſorum Muſicam, ſimili harmonia ludunt; vt in hiſce regionibus fit in turribus & campanis: reſonantiam optimam dantes, quia ex Cupro fuſi ſunt. Vtuntur iiſdem quoque cum aliquid publicare volunt nomine Regis: ſicut fecerunt cum primum ibi veneramus: nempe quod omnes poterant nobiſcum emendo & vendendo negociari: quamvis non diu vigorem habuit.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Agricolarum & ſervorum Iavæ delineatio ad vivum: Ipſerum laborum, veſtes ex panno Goſſypino corpori circundatæ, reliqua corporis parte nudi, & aperto capite incedentes. Ipſorum Inſtrumenta fabrilia, aut ad domos tegendas, diathyra aut timpana fabricanda, quibus parvis expenſis ædificare & erigere poſſunt ſuas ædes. Inſuper qui excavant & vrunt Lintres, quas Paraos nominant.



Delineatio Biremium, quas Cathurs vocant, quibus belli tempore in mari utuntur: in quibus habent quatuor tormenta parva, Baſſen dicta: hæ plærunque navigantur a principatiore aliquo dominorum in Bantam & conſtituuntur remiges, aut ſervi, ſub quodam Tabulato, & ſuper tabulatum milites ſuis armis armati. Unicum habent malum, & Velum Goſſipinum, & remos ut noſtra biremes: quæ plærunque ædificantur in quodam loco Iavæ, Lamon dicto, ibique Tartarum inſtructione, habitantium Bantam.



Biremes, Triremes, Ioncas, Paraos, navigia exploratoria, & Scaphæ Iavæ, & circunſtantium locorum, & quibus in locis plærunque ædificantur.

CAP. 33.

BEntam habet aliquas Biremes, & vnam Triremem; in quarum vſu, nondum induſtrij ſunt: quarum commiſſuræ ex Solis ardore hiantes factæ ſunt, quamvis magnis ſub tectis ſint poſitæ. His vtuntur in expeditione, aut alicuius vrbis, aut loci obſidione: veluti mēſibus quinque ante noſtrum adventum factum fuit, cum 200. fere velis, nempe Biremibus, navigijs prætorijs, Celocibus, & naviculis actuarijs, ad obſidionem vrbis Palimban navigarenr: ſed lente præparantur & armantur. Delineatio harum biremium hic conſpici poteſt, quæ formam habent noſtrarum Triremium, excepto quod in poſlica parte ambulacrum habent, & quod Remiges & ſervi in parte inferiori ſoli ſedent, optime incluſi, ſub tecto aut tabulato: & ſuper tabulatum ſunt milites, vt minus impedite & liberius pugnare poſſent. In anteriori parte, quatuor habent parva tormenta, vulgo *Baſſen* dicta, & duos malos. Illorum naves prætoriæ, ſive Paraos, Ipſis ſerviunt ad excubias ſub inſulis ordinandas, & obſervādum Pyratæ ne ſint in mari, aut aliqua impedimenta; idque ipſis ſignificandū: & ad obſervandum, mercimonia ne avehantur inſoluto vectigall. Hæ tectum habent aut tabulatum, ædium modo; ſicut & ipſorum deliciarū Phaſeli: & nemo poteſt puppim adire, niſi per hoc tabulatum. Magnum ferunt malum, cum magno epidromo, qui ſub & ſupra habet arundinem longam, vt apud nos eſt epidromi radius. Velum ex herba contextum eſt, & *Punſan* plærunque texitur, aut ex arborum frondibus, nempe Gelis aut Arundineis. In prora ſex habent viros; qui, ſi opus fuerit, remigant: & duos in puppe, qui navem gubernant. Nam duos habent clavos, ad quamlibet partem vnum,

Quales naves habeat Bantam.

quì non ſunt in medio puppis in inferiori parte affixi, ſed ad navem funiculis ab vtraque parte ligati: huiuſmodi clavos habent omnes *Ionca*, quæ naves ſunt, quibus mari navigant in *Moluccas, Binda, Barneo, Sumatra*, & *Malacta*. Hæ habent in prora Antennam, & nonnulli cum ea Sipatij malum, malum magnum, & Epidromum: & a prora in puppim tabulatũ, ædium modo, ſub quo ſedent liberi ab ardore Solis, a pluvia, & rore. In poſtica parte Cahutã aut Scenam habent, ſoli navarcho *Ioncæ* aut navis propriam: in anteriori parte non gerunt Acarium, ſed Sipariuu: inferius vero ſubdividuntur in plures cellulas, in quibus merces reponunt & onerant. Intratur ab vtraque parte, ad quæ oſtia aut foramina ſuos focos habẽt. Non utuntur Chartis Hydrographicis, nam eas non intelligunt: & nuper primum Luſitanorum inſtructione, Compaſſus nautici vſum receperunt: norunt hoc tempore niſi 8. ventos nominare, eo quod per integrum annum tantummodo duo principales venti ibi ſpirant: Nempe Borrholybicus, quem Zeilaon nominant, qui menſe Octobri incipit flare, & perſeverat in finem Martij, aut Aprilis initium: & aquarũ fluctus tanta vi ad Orientem feruntur, vt nos qui per dies vndecim vela dedimus, ad eandem insulam, nempe *Le Bock*, vnde partiti eramus, iterum anchoram fundo commiſimus. In Aprili Euri ſpirare incipiunt, quos Timor vocant: nam vẽtis nomina dant ab inſulis, quæ in eodem tractu ſitæ ſunt, veluti in Gallijs, ventus Notolybicus nominatur, ventus Scotus: & tunc tanta vi aquarũ fluctus Occidentem petunt, vt Orientem verſus navigari nequeat. Cũ ad Inſulas Moluccas, aut *Bandã* navigant, curſum inſtituunt miliare aut ſeſquimiliare a litore, ſecundũ Iavæ oram navigantes, vt terram ſemper agnoſcerent: & quia ſecundũ oras profundo maiori & puriori fruuntur, quã remotius ab oris, aut circam terram navigantes: ſicque die validus expectatur vẽtus altanus, qui obſervandus eſt; & omnibus tenſis velis navigandũ in veſperã, donec ſileat vẽtus, & veniat a media nocte vẽtus regionalis, valide ſpirans donec Sol Cæciam occupat, & ſpiret ventus altanus. Nemo clavũ gubernat, quã duo gubernatores: quare ſemper ſecundũ terram navigant, iterque cognoſcunt, & nullis egent Chartis Hydrographi-

Chartis hydrographicis non vtũtur.

Ventis nomina dant, ab inſulis in eodem tractu ſitis.

Delineatio navium Inſulæ Iavæ, quæ Iunces appellantur: quibus merces ad circonſtantes inſulas & terras transvehunt, acceſſu & receſſu maris, & Monçonen ventorum: nam adverſo vento obliquare vela neſciunt. Similiter modo, navicula exploratoria, Celoces, & Paraos, quibus vtuntur ſecundum litora navigantes, ad tranſvehendas merces a loco in locum, hic delineantur; & piſcatorum cymba, quæ tam velociter navigant, vt volare videantur: quare a noſtris Volan es nominantur.



cis. He

cis. Hæ *Ionca* ſive naves, plærunque fabricantur Bandermachen, quæ vrbs eſt inſulæ *Borneo*: vbi *Iunca* onerata mercimonijs quæ inde avehuntur, vt ſunt Cera, Oryza, piſces torrefacti & alia, ſatis vili pretio comparari poteſt. Fabricant quoque maiores naves, quam ſunt *Ionca*, quæ acatia gerunt. Biremes quas *Cathurs* nominant, fabricantur plærunque *Laſſaon*, quæ *Iava* eſt oppidum, inter *Charabaon*, & *Iapara* ſitum, ubi egregium eſt lignum navigijs fabricandis aptum. Inſulæ Indiæ Orientalis navium ditiſſimæ ſunt: ſed omnes ſunt parvæ: nam *Iuncarum* quas vidimus maior, vix 20. onera poteſt vehere: quæ vero Sinarum regione & Pegu veniunt, vt nobis declaratũ eſt, maiores ſunt. Celocium genus habent, adeo velox, vt vix dici queat: nullis enim in locis ſimiles naves vidi quæ ex vno trunco ſunt excavatæ; ante ſunt acutæ, ſubtus vero rotundæ: & ne evertantur, vtrinque habent arundinem groſſam, orgyia a Celoce diſtantem: quæ duobus baculis ambæ ſunt iunctæ; qui ad proram & puppim Celocis firmiter ligati ſunt: feruntque velum adeo magnum, vt mirum ſit, quod ventorum vi agitatæ non evertantur, & fundum petant: tamen nullum patiuntur periculum; nam egregij ſunt natatores: etiam ſi aliquæ arundine vtrinque carentes evertantur, tamdiu natant, donec celox iterum exiccata eſt: tunc rurſus dant vela, vt prius, & curſum perficiunt. Cum mare navigant, mulieres ſecum ducunt, plurimum mirantes, quod tam longo in itinere nullas nobiſcum haberemus: quare mulierem quandam ad claſſem adduxerunt, quam mox in terram remiſimus, ipſis gratias agentes de conceſſa muliere. Celoces celerrimæ.

Effigies Elephantis in Iava, qui ſingulis diebus locatur ad laborandum: & Crocodili effigies in fluvijs Iavæ viventis: qui à Sinenſibus capitur, excoriatur, & editur, atque datur pro delicato cibo. Similiter & Teſtudinis, quæ magna copia conſpiciuntur ad Oras Iavæ, & aliarum circumiacentium Inſularum. Adiunximus effigiem animalculi hyſtrici ſimilis, quod nobis vendebatur in Inſula S. Maria, & ab Incolis in aqua ſalſa captum fuit.



De Animalibus Inſulæ Iava, & aliarum.

CAP. 34.

Certorum animalium Iavæ deſcriptio.

A Nimalia quæ inſula Iava nutrit, ſunt primo Elephantes, qui ibi cicures redduntur, & quibus ad laborandum vtuntur, & indies locantur. Incolæ dicunt Rhinocerontes in Iava inveniri, nobiſque vendiderunt Rhinocerontis cornu, quod in Rhinocerontis nare crevit; quod, vt fertur, antidotum eſt adverſus Venenum, ſicut & quidquid Rhinoceros habet. Plurimi Cervi & Cervæ in Iava reperiuntur; ſed ob ſylvarum frequentiam vix capi poſſunt, niſi ſclopo interficiantur. Sed cum Iavani ſclopis vti neſciant, tanta ibi multiplicantur copia, vt a terræ interiora petentibus, ſemper gregatim conſpiciantur. Simili modo Boves ſilveſtres, Bubali & Apri, abundant. Habent quoque Boves mactanes & Bubalos cicures, quorum lacte fruuntur: & Oves egregias & Capras. In ſylveſtribus locis varij ſunt Cercopitheci & Muſtelæ, quibus arbores ſcatent, & ſuis geſtibus ludicris hominum animos recreant. In ſylveſtribus quoque multi & elegantes ſunt Pavones; ſed nullos habent cicures. Habent & Pſittacos, aliaſque innumeras aves, ubi & Paſſerum nullus defectus eſt: inter alias aves illic vidimus aliquas, capite magno & roſtro curvo, & elingues, deglutientes integra poma & Ova, aut aliquid ſimile; quæ & integra per anum reddebant; qualem Amſtelrodamum advexìmus. Iavæ fluvij multos aluut Cocodrilos, qui hominem in aquis exiſtentem, audent aggredi, & ad fundum trahere; quare non ſine metu fluvij navigantur.

Cocodrili optima eſca

Hos Cocodrilos capiunt Sinenſes, quos incraſſant & cicures reddunt; & tunc nemini nocent: cumque ſat craſſi videntur, mactant & edunt: dicuntque cibum eſſe delicatum & excellentem. Ad oras Iavæ, & Inſularum

Delineatio avis mirabilis ex inſula Iava, advectæ, magnitudine Struthionis, elinguis, exiguis aut nullis fere alis, ſine cauda, pedibus longis, groſſis & ſpiſſis, quibus omnem eius vim exercet. Quidquid integrum glutire poteſt, id ſine aliqua alteratione aut conſumtione, per anum deijcit: vt ſunt Poma, Ova, Stannum, aliaque. Habes & hic effigiem ſylveſtrium, & cicurum Bubalorum, & Porcorum Iavæ; & Chameleontis, & Salamandræ in Madagaſcar.



Orienta-

Orientalium, plurimæ videntur in aquis teſtudines, quæ capiuntur & eduntur, quarum caro Vitulinam ſapit carnem: quæ ſi alicui inſcio apponeretur, carnem exiſtimaret. Operimenta Teſtudinum ſervantur, quæ Sinenſibus venduntur, & ad Sinarum regionem vehuntur. Habet & Iava mures odoratos, quos *Caſtori* nominant: ſed Zibetho vti non norunt, vt in Guinea, vbi candidius, clarius, & purius eſt. In inſula Madagaſcar abundant Chamæleontes, quos his animalibus adiunximus: Et in parva inſula magni ſinus Antongili, Salamandram vidimus ſuper arborem, longam duas ſpithamas, roſtro acuto, oculis magnis, dorſo æquali & longo, atque cauda longa: habuitque quatuor expanſos & acutos vngues; animal quidem viſu terribile. Ad litus ipſam portavimus, ubi poſt longam inſpectionem, in aquam miſimus, & perdidimus.

Salamādra ſuper arborem viſa.

In inſula S. Mariæ duo animalcula emimus, Cuniculi magnitudinē habentia, roſtro porcino, & grumnientia vt Porci; corpore ſpinis acutis Erinacei in modum horrente: Pedes quatuor curtos habent: animal malitioſum. Incolæ hæc ceperant in aqua ſalſa, interfluente S. Mariæ inſulam, & aliam parvam inſulam. In inſula Madagaſcar multæ Feles parvæ reperiuntur, quæ Tamarindis nutriuntur, & in ijſdem arboribus habitant: longo ſunt corpore, roſtro acuto, pedibus curtis, & cauda longa variegata. Animalia hæc adiunximus, ad vacuum ſpacium implendum. Iava gallinarum duplex habet genus; quorum alterum noſtratibus ſimile eſt; alterum, Numidicarum & noſtratium gallinarum formam commixtam habet: volatile profecto mirabile: atque invicem adeo inimicum quod Incolæ ſæpius novacula gallorum Calcaribus alligant: & ſimul pugnare ſinunt, donec amborum alter occubuit: vbi ſæpe magno contendunt, apponendo magnam ſummam *Caxas*, pro premio victoris: reditque dominus Galli victorioſi, cum Gallo occiſo, genio indulgens.

Animalculorum deſcriptio, quæ empta fuerunt in Inſula S. Mariæ.

Delineatio muris odorati, Luſitanis Gatto d'Algalia dicti; animal crudele & malignum. Gallorum pugna, qui ſuis novaculis calcaribus adiunctis, tali pugnant ardore, vt non deſinant, donec alter occubuit: vbi et ſæpius magna pecunia contenditur. His additur certum animalculum, capite et roſtro vulpino, corpore felino aut marduri, cauda Pardalis: quod magna copia frequentat arbores Tamarindorum, quarum fructu nutritur & vivit.



De arbore

De arbore Areccam *aut* Fauſel *gerente: & herba aut folio* Betele *aut* Bette *dicta: atque Arundinibus magnis* Manbu, *& fructibus* Mangas, Annanas, *&* Samaca.

CAP. 35.

IAm vt ſermo fiat de fructubus, quos vidimus in Iava & vicinis Inſulis; incipiemus ab arbore, quæ Arabice Fau-
Arboris Fauſel deſcriptio. ſel, a Luſitanis, Arequero, Malaica lingua Pinam, nominatur: quæ, vt prædictum, vniverſæ Indiæ nota eſt. Hæc
in Iava, & alijs Indiæ locis abũdat: & ad loca quibus nõ creſcit, eius fructus magna copia vehitur; quare magna
commercia cũ ijſdem tractãtur. Palmæ effigie creſcit, eiuſque fructus Dactylum fere refert, adeo vt ſylveſtrem Da-
ctylum dicas. Frondes habet Palmæ, aut Nucis Indicæ, ſive Cocos, longas & extenſas. Fructus involucro aut pu-
tamine clauditur, donec floreſcit: tunc aperit ſe, & cũ matureſcit & flaveſcit, putamina decidunt, remanentque fru-
ctus ramo longo & groſſo affixi, ſcopam referentes, ſed fructus alter altero maior eſt. His fructubus vtuntur om-
nes Indi, vt cum folio Betel manducent, calce addita: ſuntque huic rei adeo aſſuefacti, vt illis videatur fieri non
poſſe, vt ſine *Betele* & *Areeca* vivere poſſent: quare die noctuque expergefacti, ſemper in ore mandunt, æque mu-
lieres ac viri, dicentes, quod gingivam corrobotant, & ſtomachum conſortant, & quod aliter cibus faſtidium eis
Betele vſus. generaret; quod vt impedirent, ſemper poſt ſumptum cibum mandunt *Betele* cum *Areca* & Calce mixtum. *Be-
tele* creſcit Piperis, Hederæ aut lupuli modo, aliquas arbores circumvolvendo aſcendens. Nam ſarmenta habet
debilia & tenuia, fronde hederacea, ſed viridi dilutiore, quarum vſus magna parit commercia inter Indos: & ad
cuncta viarum compita ſemper habes mulieres plures *Betele* & *Arecca* vendentes. Foris Sundæ fretum eſt inſula,
quæ agnoſcitur per duos montes excelſos, qui in tota *Bantam* regione ad occidentem conſpiciuntur, dicta *Pulo Se-
Inſula Pulo Seveſſi. veſsi*, quæ Betele abundat ſponte creſcenti: quam Iavani Paraos plenas colligunt, & inde avehunt: qui cum nudi
ſint, difficulter carpere poſſunt: quia Betele inter vrticas creſcit: ſed poſt triduum ſanos ſe reperiunt. Iuxta eandem
Pulo Veſſi. alia eſt Inſula, in qua mons altus, *Pulo Veſsi* dictus: vbi egregia & clara aqua recuperanda eſt: & iuxta eandem eſt
Inſula rubea & arida, quæ a longe ex ruſſa & arida facie cognoſci poteſt, exiſtens ex puro Sulphure. Iam vt ad
herbas redeat ſermo, ſciendum eſt quod Proceres ſeu Principes, quocunque eant, aut ſedeant, ſemper famulos
habent ciſtulas cum *Bettele* gerentes, In quibus habent *Bettele Areccam*, & pixydulam cum calce viva, & forcipe
ad frangendam *Areccam*; quæ matura aut vetus exiſteus, dureſcit; ſed viridis, minime: & tunc ſtupefacit, inebriat,
& ſyncopen facit. Cum hanc edunt, & mandũt, primum ſuccum exſpuunt, qui rubeus eſt, vt ſanguis male ſanus:
ſecundum deglutiunt. Maior civilitas qua invicem afficere poſſunt, eſt invicem offerre de ſua *Betele*, & participẽ
facere. Cum mare navigãt, paſtillos ex eiſdem faciunt herbis, vt herbarũ loco vtantur. Iava multas producit arun-
Manbu. dines groſſas, quas *Manbu* nominant; ex quibus domos fabricant, omnemque fere fabricam. De his arundini-
bus ſcriptum reperitur, quod *Tabaxir* in Ipſis creſcat, quod in Perſia magni æſtimatur: eſtque humor albus, veluti
Tabaxer in arundine Manbu creſcit. medulla alicuius arundinis: at non comperi illud, quamvis Iavanos ſæpius ea de re interrogaverim. Habet quoque
Iava fructum *Mangas* dictum: optimus eſt fructus, in arboribus creſcens ut Iuglans extenſus; paucas frondes ha-
bens. Mangas ex ramis pendentes, ſunt fructus oblongi, nonnihil incurvati, forma ſemilunari, flavi, vireſcentes,
Mangas. nonnunquã rubeſcentes, intus omnino flavi, fibroſi, nucleo magno, & optimi ſaporis. Menſe octobri, Novem-
bri & Decembri maturi ſunt, & copioſi. Virides ſale condiuntur, Allio & Zingibere viridi: tunc albi ſunt, & Oli-
varum loco eduntur, ſed minus amari, & paulo acidiores, quare & delicatiores: vocantur *Mangas d' Achar*. Anna-
Annanas. nas egregius eſt fructus, putarem elegantiorem inveniri non poſſe: humilis creſcit in acuta expanſa herba, folio
Sempervivi Hiſpanici; primo vireſcit, matureſcens flaveſcit quodam cum rubore, inciſuris Pini Conum refert:
intus flavus & ſciſſuræ mollis: egregium edit odorem, vino ſuperfuſo editur: ſed nimius eſus cauſat febres, eoque
nomine male ſanus. Sapore refert Perſicum maturum, ſucco abundat, & ſtomachum valde refrigerat, ſuccũ ha-
bet adeo acidum, vt culter quo *Annanas* diſſectus eſt, ſi per noctem maneat non abſterſus, ſequenti die a ſucco
adeo exeſus erit, vt vix agnoſci queat. *Annanas* quoque Saccharo condiuntur. Fructus hic folia glomerata habet
duo vel plura, quæ plantata, alios edunt fructus, & ſi diebus 14. non plantata manſiſſent. Primum a Luſitanis ex
Nova Hiſpania & Braſilia in Indiam allata fuit hæc planta, ubi magna abundat copia.

Samacca. Habet & Iava fructum, quem Samaca nominant, qui magnitudine Citrium malum æmulatur, colore viridi
ſubrubicante, ſapore acido, ſuccoſus eſt, intus habens ſemina nigra: & frondes Citrij frondibus ſimiles, ſed ro-
tundiores: ſapor eius ſuaviſſimus. Saccharo cõditur, & vtitur Tamarindorum more, ad omnes inflammationes
& febres ardentes. Conſervatur quoque Aceto aut Muria, vt Piper, & Allium, Mangas & Zingiber, ad corrobo-
rationem ſtomachi confert, & fluxui ventris & Dyſenteriæ, &c.

Icones arboris, Malaice Pinan, Luſitanice Arecquero dicta; quæ Areccam *fert, cum frondibus & fructubus & herba & frondium* Betele, *creſcentis hedera modo. Inſuper magnæ & groſſæ Arundinis* Manbu *dictæ. Habes quoque fructum fragrantem Annanas, cum ſua ſtirpe & frondibus. Præterea fructum a Iavanis Samaca dictum, qui creſcit ad Oras Sunda, unus habens acinos nigros. Aceto aut Muria conditur, & conſervatur.*



De Herbis & fructibus Iavæ.

CAP. 36.

TAmarindis abundat Iava: fructus ſunt creſcentes in magnis & expanſis arboribus, Pimpinellæ folijs, ſed paulo longioribus: flores primum rubeſcunt, Perſici floribus aut Amygdali æmulis: qui poſt albeſcunt: viticulis longis nonnullis, qui ab interiori parte foras exeunt, quibus fructus adhærent, Fabis noſtris magnis non abſimiles, ſed ante & retro rotundiores paulo. Occidente Sole, frondes fructum circumvolvunt, vt a frigore defendant: Oriente vero Sole, iterum evolvunt. Fructus primo vireſcit; maturus, cinerens eſt; quadam cum rubedine, intus cellulas ligneas habens: in quibus medulla ſpadicea, acidiuſcula, aſtringens, in qua tres aut quatuor Parvæ fabæ compreſſæ, ſpadiceæ: ſponte in campeſtribus bis in anno ſine cultu proveniunt. A Pharmacopæis vtuntur ad febres ardentes, oppilationes, Iecoris inflammationes. Sale condiuntur, & in Europam vehuntur. In parte Borolybica inſulæ *Madagaſcar* abundant, fructuſque magnos & egregios edunt bis in anno, qui Incolarum præcipuum ſunt nutrimentum. In eadem inſula *Quille* vocantur, & in Iava, *Sunda aſſa*. Condiuntur quoque Saccharo aut Melle, ad conſervandum, & transferendum. Tamarindi fructus.

In Iava fructus eſt *Duriaon* dictus, in arboribus altis creſcens, vt apud nos poma. Fructus excellens, ſed non Duriaon. aſſuetis, primo faſtidioſus, ob eius odorem, qui Cepæ toſtæ, aut putridæ odori aſſimilatur: magnitudine Conum Pini æmulatur, vndique ſpinoſus vt Caſtanea, ſed cuſpides habet groſſiores & quadratas: intus vero plærũque tres cellulas habet & in ſingulis tres nucleos, Cepæ æmulos & ſinguli ſuos acinos habent: æſtimatur melior, ſanior & ſaporoſior totius Indiæ fructus. Hunc habent ingenti copia inſulæ *Baly* & *Malacca*, ſed ſervari non poteſt: quam

K primum

Arboris Lantor deſcriptio.

primum crepat, edendus eſt. Profert quoque Iava arborem, *Lantor* dictam, cuius folijs Papyri loco vtuntur: eſtque ſpecies *Coccos*, aut Nucis Indicæ: & folia magnitudinem habent ſtaturæ hominis, aut maiorem, veluti Palmarum rami qui Hieroſolyma a peregrinis adferuntur: & adeo levia aut plana, vt ſtylo ſcite in eis ſcribere liceat; ſicuti olim apud Romanos & Græcos in vſu erat. Vnde Adagium, Egregium habet ſtylum.

Ex his folijs, aut Papyro, libros compingunt æqualis longitudinis, inter duas tenues tabellas ligneas. Qui & ſi aliud Papyri genus habeant, ex arborum interiori cortice factum, illo ſolummodo vtuntur, vt nos Charta Emporetica.

Cubebe.

Cubebe in Iava, ad Oras Sundæ creſcunt; vbi *Couciombi* & *Cumuc* appellantur, & Malaice *Cuba Chini*, quarum ſaccus, aut Baruth, nempe lib. 56. ad ſummum valet ſex aut ſeptem mille Caxas: magni vſus eſt ad confortationem ſtomachi; ſponte creſcit in campeſtribus, & arboribus, noſtris Pomiferis æmulis, Botri modo: ſed quodlibet granum ſuo pediculo adheret. Incolæ coquunt priuſquam in alias emittant regiones, ne alibi creſcat.

Mangoſtan.

Mangoſtan optimus eſt fructus, creſcens vt Pruna ſylveſtria, & ſimilis altitudinis frutice. Plurimos fructus huiuſmodi habet Iava, ſapore acidiuſculo & grato.

Talaſſe.

Profert quoque Iava, ibi plurimum in vſu, Herbam *Talaſſe* dicta, Malaice *Lalade:* cuius flos aut fructus nunquã viſus fuit: hac vtuntur tantummodo in ciborum apparatu, varijs modis: edunt quoque viridem aut non coctam, præſumentes quod veneris vſum augeat.

Quãdo Piper Matureſcit.

Piper creſcit in Inſula *Iava* magna copia: matureſcit menſibus Septembri, & Octobri: Novembri & Decembri vero colligitur, & *Bantam* adfertur: vbi Iavanica lingua *Sabang*, Malaica autem *Lada* nominatur. Aceto conditur cum alijs fructubus, & *Achar* fit ex eo. Sed cum alibi latius de eo locuti ſimus, non videtur neceſſarium latius quid declarare.

Effigies Tamarindi in Iava, Aſſa dicti; arboris quoque & florum, e quibus naſcuntur. Item fructus gratiſſimi ſaporis Duraion, *& eius arboris. Inſuper arboris* Lantor *ſive Papyri. Praeterea Cubebe aut* Couciumbi, *Luſitanis Pimenta de Rabo: & fructus* Magoſtans; *& herba* Talaſſe *in Iava, Malaice* Lalade, *dictæ: & Piperis nigri rotundi: quod ſæpe Aceto aut Muria conditur.*



De alijs

De alÿs fructubus.

CAP. 37.

IN Iavæ inſula fructus creſcit magnitudine longi Peponis, quem Iaca nominant. Hi fructus creſcunt in ipſo arboris trunco, & nō in ramis. Foris viridis eſt plurimis acutis ſpinulis; intus aurei coloris, multa habens oſſicula: qui toſti, eſu grati, & alvi fluxum aſtringunt: viſcoſus eſt, fibroſus, & duræ digeſtionis. Iaca.

Inſula *Baly* fructum habet Pyri magnitudine, cortice aſpero ſive ſquamoſo, intus album; aſtringentē, nucleum intus habentem. Sæpe duo naſcuntur in vno involucro: in altis creſcit arboribus, coniunctim Botri modo, tanta multitudine, vt mirum ſit, quod rami non diſſipentur. Conſervatur coctus in melle, aut muria.

In parva inſula S. Mariæ, fructus creſcit in arboribus excelſis ſine ramis, vt *Palmites*, in arboris trunco. Foris eſt vt Annanas, aurei coloris, oſſicula habens Pomorum Puſicorum: intus eſt prædulcis, reſiduum durum & inutile. Egregij hic quoque creſcūt Myrobalani, *Areca* dicti, coloris rubei obſcuri, magno intus nucleo aut oſſiculo, in ore guſtando Piperis acredine. Fructus ſunt rotundi vt Melones; in altis creſcunt arboribus, cortice duro & ligneo præditi, intus habent viſcoſas exiguas & compreſſas fabas: alvum laxant. Eſt & alius Pyri noſtratis æmulus, foris cinereus, viſcoſus vt prædictus.

In eadem Inſula, fructus eſt in campeſtribus creſcens ſicuti Poma noſtratia, aurei coloris, Oſſiculis Meſpyli:

In ingreſſu freti, ad Oras *Sumatra* & *Pulo Carcata*, creſcit copia tāta *Caſſia Fiſtula*, aut *Solutiva* in ſylvis, vt naves onerari poſſent: non tamen colligitur, creſcit in arboribus altis & expanſis; pendet vt longæ virides aut cineritiæ candelæ: matura vero Pulli coloris, vt huc adfertur.

Icon fructus Iacca, *magnitudine Melopeponis, ex arboris trunco naſcens. Praterea fructus copioſe creſcentis in Inſula* Baly, *magnitudinē Pomi: qui inferius eſt rotundus, ſuperius anguſtior, cute aut cortice aſpera; quare a nobis hiſtrix appellatur. Muria aut Sacchare conſervatur, in bonum nutrimentum navigantium. In arboribus altis creſcit botri modo. His additur bonus & ſuavis fructus Palmites, eiuſque arbor: ſimiliter magni Myrobalani,* Areca *dicti, creſcentes in Inſula* S. Mariæ, *colore rubeo obſcuro; intus habens magnum Oſſiculum.*



Imago arboris dicta Canella do mato: *quæ magna copia creſcit in ſylvis Iavæ. Præterea* Caſſiæ *fiſtula, quæ abundanter creſcit ad ingreſſum freti* Sundæ, *in* Pulo Carcata, *in excelſis & expanſis arboribus, primò viridi cortice, deinde rubeo fuſco. Inſuper fructus* Carca Puli *in* Sunda, *magnitudine Ceraſi, Albi, Ruſſi, & Rubicundi fructus pergratus.*



Canella ſylveſtris. Caſia, ſive Canella ſylveſtris in Iava creſcit, ad Oras Sundæ, cuius cortex tenuior, præſtantior eſt; reliqua quæ groſſior, inſipida, & lignea: nec in quantitate aliqua eſt, tamen vilis pretij: emitur enim non pondere, ſed cumulo aliquo. Malaice, *Caiumanis* nominatur.

Carcapuli. Alius adhuc eſt fructus *Carcapuli* dictus: acidiuſculi ſaporis, magnitudine Ceraſi, creſcens in arbore noſtrati Ceraſo non abſimili, & Oſſicula habet. Fructus ſunt aut albi, aut ruffi, aut rubicundi; eſu pergrati.

De Coſto Indico, Calamo, Zerumbeth, Macropipére, & Peponelone.

CAP. 38.

Coſtus Indicus. COſtus indicus in Sunda reperitur, *Pucho* appellatur; & *Malaccam* vehitur: foris griſeus eſt, intus albus; craſſitudine digiti: Oderatus. Sinenſes emunt, & ad Sinarum regionem mittunt.

Calamus. Calamus Sundæ, & vicinarum inſularum inquilinus, Malaice, *Diringus* dicitur. Sinenſes emunt, & in Sinarum regionem mittunt.

Macropiper. Macropiper in *Iava* naſcitur, nempe *Panaracan* & *Bantam*, magna copia. *Sunda, Chiabe* vocatur: immaturum, viride eſt: maturum, magnum & rubeum: ſiccum, nigrum & parvum. Proceres Bantam, Piperis loco vtuntur: ſed vili pretio venditur.

Zerumbeth. Zerumbeth in Sunda creſcit: Malaice & Iavanice *Canior* nominatur: Zingiberi aſſimilatur, ſed folio longiori & latiori. Radix ſcinditur & ſiccatur, & Saccharo conditur, Zingibere melior & efficacior eſt.

Galanga. Galanga *Sundæ* & *Baly* inquilina, & ab incolis *Lancuas* vocatur: altitudine duorum cubitorum, folijs & floribus Acori.

In Sun-

In *Sundi, Madagaſcar*, & pluribus Indiæ locis, reperitur *Crocus Indicus*, aut *Curcuma*, Luſitanis *Saffran de Terra* dictus, eo quod incolæ in cibis Croci loco vtuntur: Malaice, *Cunhet*: eo viridi exiſtente, eius acrimonia guſtari nō poteſt; ob eius nimiam humiditatem: ſed cum ſiccus eſt, acrimoniam habet, non tantam tamen ac Zingiber: vt alio in loco latius diximus. Crocus Indicus.

Fagara Iavæ inquilina: fructus eſt, magnitudine Cubebe aut Piperis caudati, tenuiſſimum habens corticem: tenui involucro naſcitur granum ſingulum. Confert debili ſtomacho, & pectoris obſtructioni, & fluxioni alvi: exiccat & calefacit, vt Cubebe. Fagara.

Gummi *Taccamaca* reperimus in parvula inſula Sinus magni, ex arbore excelſa, folijs longis & anguſtis. Fructus, magnitudine Pruni. Gummi album eſt, odoratum, & pretioſum. Taccamaca

Lacca Bentam venalis eſt: adfertur ex *Tolonbavan Sumatra*, vbi magna à muſcis aliquibus copia in arborum magnarum ramis concervatur, diciturque *Cain Lacca*: venditur *Pico*, quod Sinarum pondo eſt centum Librarum. Lacca.

In Iava naſcuntur magni & egregij Melopepones aquei: fructus ſunt pergrati, colore viridi obſcuro, intus albi, magnitudine longi Peponis: qui ab incolis, pro ſingulari dono viciſſim dantur & apponuntur, ob magnam quam habent refrigerationem: Fructus hic per vniverſam Indiam *Batiec* dicitur. Melones aquei.

Benzoin abundat *Baros* & *Speriamon Iavæ*, duo loci inſulæ *Sumatræ*; tractumque habent Orientalem & Occidentalem cum inſula *Banca*, diciturque *Mignan* aut *Comignan*. Album venditur pondere nummulorum Iavæ, aut *Caxas*, pondere æquali: nigri triplum ponderis *Caxas* datur. Eſt & ſpecies dicta *Benzoin Amendoado*, compreſſum libi modo ex Amygdalis tuſis, quod optimum eſt. Vile colligitur *Balinban Sumatra*. Benzoin.

Bantam reperitur *Camphor*, quod *Caſur* nominant; vbi adfertur *Baros* in paſtillos albos redactum. Adfertur quoque ex *Borneo, Bandarmachen*, & *Lave*; magnitudine ſeminis Milij, aut Ovorum formicarum, quod longe optimum. A Sinenſibus emitur, & in Sinarum regionem vehitur, & pondere *Cati* dicto, venditur. Caſura.

Icon Coſti Indici, *Malaice* Pucho *dicti: aroma eſt optimi odoris:* & Calami Aromatici *Malaice, Diringuo dicti: qui & in* Sunda *creſcit. Macropiperis in Iava creſcentis, vbi Cinabe appellatur. Proceres eo vtuntur Piperis loco, dicentes ſalubrius eſſe quam Piper rotundum: item Zerumbeth quod Malaice & Iavanice Cunjor vocatur: vbi exiccatur & in Sinarum regionem mittitur.*



 Effigies

Effigies Galang[illegible] *maioris, quæ in Iava & Sunda naſcitur, altitudine duorum cubitorum, diciturque* Lancuas. *Croci aut* Curcuma, *Malaice*, Cunher *dicta citrini coloris: tuberoſum eſt & frangibile. Fagona creſcit in* Sunda, *vt* Cubebe *involucro tecta. Arbor & fructus Gummi* Tacamaca. *Lacca Malaice Cajulacca dicta*, Barros *&* Tolonbavan *inquilina.*



Santalum. In ſylvis Iavæ creſcit lignum Santali, rubeum & citrinum: ſed album quod pluris æſtimatur, ibi adfertur ex *Timor* & Solor, duabus inſulis parvis, ad Orientem Iavæ ſitis; & quanto arbor eſt groſſior, tanto carior. Creſcit quoque in Iava, Santali albi parum; quod mox odore privatur. In his inſulis *Caxas* non habent curſum, ſed Sinenſium merces cupiunt. Creſcit & *Larius* ad Auſtralem partem navigans, invenires optimum: nam Indi, ob ventos validos, & fluctus, non audent eo navigare, quamvis Auſtralis terminus, ſcopulis mundos habeat ſinus: & venditur *Bantam* Pico.

Zingiber. Zingiber magna copia creſcit in Iava, ſed nullum ibi exiccant: tantummodo Saccharo condiunt, aut in ciborũ apparatu eo vtuntur. Copioſa quoque eſt in Sinu Antõgili; vbi *Saquavire* nominatur: Malaice *Alias*, Iavanice *Gãti*: in ſportis viride & recens in foro venditur.

Anacardus. Anacardus in Sunda provenit, Cordis formam habens, colore rubeo, non habens collum longum, vt ille qui in Malabar creſcit. Luſitanis *Fava de Malaca* dicitur, eo quod fabæ aſſimilatur.

Podi. Podi farina eſt, aut pollen: vtuntur eo ad flatus frigidos expellendos.

Pao de Cobra. In Sunda quoque creſcit lignum aut radix, a Luſitanis *Pao de Cobra* dicta: antidotum contra omne venenum: ſive ex Colubrorum morſu, ſive intus ſumptum ſit: valde amarum eſt.

Floers. Floers reperitur Bantam, nominatur *Caxumba*. In cibis eo vtuntur, atque ad tingẽdum veſtes Goſſypinas. Plurimum adfertur ex inſulis *Macaſſer*, *Baly*, & *Cambava*; quæ omnes, egregios habent portus. Bantam venditur *Cate*, mille *Caxas*; nempe unciæ viginti.

Caja Api. Producit *Sunda* ſequẽtia quoque Aromata, herbas & ſemina: quæ hic brevi ſermone declarabimus. Primo *Caja Api* lignum in ore vrens: contundunt minute, & eo corpus vngunt. Vili emitur pretio.

Cantior. *Cantior* fructus, Terræ glandi ſimilis: copioſe quoque in Guinea creſcit: & vili emitur pretio.

Samparantaon. *Samparantaon*, radix eſt efficax & amara: in Sunda abundat, & parvo emitur.

Pomion

Pontion, *Malacca* venit, ſed provenit in *Choromandel*: carum eſt: valet enim pondus *Cate*, ter mille *Caxas*: Febribus adverſatur. Pontion.

Cato Gamber, fructus eſt Olivæ, aut *Areca* viridi non abſimilis: creſcit in *Cambaia* & *Choromandel*, & Sunda: vili emitur, & dolores dentium ſanat. Cato Gamber.

Ganti radix eſt Zingiberis æmula: e Sinarum regione adfertur: magno venditur: Indi ea corpus vngunt. Ganti.

Sahang Pute, aut Piper album, Piperi nigro viribus æquale eſt, ſed minus groſſum, non rugoſum; in medicamẽtis vtitur. Provenit tantummodo certis in locis *Malabar*, *Malacca*, *Sumatra* & *Sunda*; & parva quantitate. Sahang Pute.

Saſani, Sinapi eſt: quod copioſum, & viliſſimi pretij eſt, Sundæ. Saſani.

Doringi, copioſiſſime ibi creſcit, & viliſſimo emitur pretio: vtuntur in potione, quam infantibus recens natis adminiſtrant. Doringi.

Galam, medicamentum valde refrigerans: radix eſt in aquis naſcens: & in *Iava*, parvo emitur. Galam.

Tianco, Fructus eſt; quem, cum male ſe habent, contundunt, & cum potione mixtum bibunt. Copioſe ibi provenit. Tianco.

Madian maiu, *Coraſſani*, advehitur ibi ex oppido *Achem* ſito in Boreali parte Inſulæ Sumatræ, & eo vtuntur ad inebriandum. Madiã maju Coraſſani.

Spodium fit in Sunda, quo extrinſecus ſolum vtuntur ad vngendum corpus: comburitur ex quadam arbore; & emitur vili pretio. Habetur quoque in quadam provincia Perſiæ, *Chirman* dicta: vbi optimum creſcit Cymimũ, Malaice *Ientarieran* dictum: quod per *Ormus*, & *Achem*, *Bantam* vehitur: quare carius venditur per parvas *Gantas*. Plurimum ſumitur cum madian maju, Daan Tujo, aut Heptaphyllo, cuius folia omnibus morbis conducunt qui lancinationes aut flatus habent cum ingenti dolore: quibus morbis plurimum ſunt obnoxij, quia nudi incedunt: & parvo emitur. Spodium. Ientanyeră aut Cyminum.

Effigies Sycomori, Inſula Mayo indigena, ficum ſylveſtrem æmulantis, cuius fructus citrinus & ſemine carens. Praterea Sempervivi, *aut Aavar, maris & femina, ex quo fit Aloe in inſula* Socotera. *Inſuper Arboris* Qutilor, *in vrbe & hortis Procerum creſcentis.*



In Inſu-

Sycomorus In Inſula *Maio* (quæ vna eſt viridium Inſularum, ſita ſub Poli Arctici elevatione 15. graduum) vidimus plurimas arbores ab invicem ſeparatas, Sycomoro non abſimiles, folijs fici arboris, ſed paulo minoribus. Fructus fico ſimilis, citrinus & parvus, ſeminibus aut granulis carens. Caudex, rami, cortices, fructus, ſucco lacteo gaudent: & foliorum acuitate fici folia æmulatur: cuius fructus nunquam perfectam maturitatem adſequitur. Fructifera & fœcunda eſt arbor, nam ſemper multo fructu prædita eſt. Arbor hæc ex ſemine nõ provenit, nam fructus ſemine caret: ſed eius taleæ terræ inſeruntur, vt Mori taleæ: cuius folia magnitudine æquat.

Azevar aut Sempervivum. Ad Promontorium Bonæ Spei, in ſinu vulgo *Agua de Sanbras*, ingenti copia, immo integros campos invenimus, *Azevar*, ſive Sempervivi, magnitudine viri ſtaturam æmulãtis: ita vt a longe conſpicientes, putavimus terræ Incolas eſſe. Herba eſt, ex qua in Inſula Sacotera fit Aloe, quod Sacoterinũ dicitur ab Inſulanis, qui omnes agricolæ ſunt: nam in tota inſula, nullum eſt oppidum. Signa eius quibus cognoſcitur eſt, vt ſit pinguis, ſine fecibus, arena, aut lapillis, ruffum ſplendens, & obſcure citrinum, non poroſum velut iecur, compactũ, fuſionis facilis, ſapore amaro, Scorbuto confert: Fel purgat, & flegma, ſtomacho vtilis.

Alo e Sucotrinum.

Sary. *Sary*, pollen aut farina eſt, qua corpus vngunt, ipſum defendens ab omni malo flatu.

Tagary. *Tagary*, radix eſt, creſcit in *Nanpon* aut *Sumor* ad Oras *Sumatra*, ea vtuntur In corporum lavacris.

Surahan. *Surahan* quoque vili pretio emitur.

Sedowaya. *Sedowaya* in Iava creſcit, & parvo emitur, vtuntur ad corpororis vnctionem.

Sambaia. *Sambaia Malais*, ex Sinarum regione advehitur, vbi *Geidnar* vocatur: valde carum eſt: magnitudine glandis, & raræ recuperationis. Vtuntur ad corporis vnctiones: multis confert rebus, præſertim veneno, & morſibus venenoſis animalium pernicioſorum.

Ialave. Ialave, fructus eſt arboris, magnitudine glandis: ægris in potionibus datur: eius ibi magna eſt copia, & parvo emitur.

Paravas. *Paravas*, herba eſt refrigerantis facultatis: valde cara eſt, & inflammationi medetur.

Tomonpute. *Tomon pute*, radix eſt Galangæ aut *Curcuma* ſimilis, ſed alba eſt: eius vſus in vnctionibus corporis. Epatis inflammationi medetur, refrigerando. Herba ſaluberrima.

Queillor. Sunda fruticem profert, folijs Tamar-Iudi, ſapore amaro: fructus eius Phaſelo ſimilis, ſed duplo longior: *Queillor* vocatur. In cibarijs vtuntur, & ſanitatem auget.

Conduri. Phaſeli ſpecies in *Sunda* naſcitur, & in Madagaſcar, atque in Sinarum regione, *Abrus* nomine, Malaice *Conduri*, Iavanice *Saga*: pulcri & parvi ſunt Phaſeli, maculam nigram habentes in altero latere: ponderis loco tantummodo vtuntur. Amari ſunt, & ab aliquibus venenoſi æſtimantur.

In freto *Sunda*, ad *Pulo Cercata*, nuces creſcunt forma & magnitudine Gallæ, primo guſtu Avellanam referunt deinde tanta anguſtia hominem afficiunt, vt mori videatur. Ego Nucem Indicam exiſtimo, quam toxicum dicũt. Idque nobis experientia compertum eſt, nam ſi noſtris non ſuccurriſſemus, magnum vitæ periculum ſubijſſent.

Lignum Aloes. Xylo Aloes invenitur circa *Malacca*, *Sumatra*, *Cambaia*, *& Sian*: Optimum *Calambar* Luſitanice *Pao Daguila* nominatur: ponderoſum eſſe debet, habens fuſcas & nigras venas, & ad ignem detentum multam pinguedinem emittere debet: gratum habet odorem, aſtringens eſt, & amaritudine efficaciam habet: quanto maius ac groſſius, tanto pretioſius æſtimatur: manſum, gratum facit halitũ, & ſtomacho infrigidato medetur: ipſumque corroborat.

Garro Malaice, aut *Aguila bravo* Luſitanice, eſt lignum Aloes recens natum: non tam carum, nec efficax eſt: invenitur In locis prædictis, & in Iava.

Quid acciderit cum Iuncas *exoneravimus: & navigatio noſtra verſus flumen* Tanjon *Iava.*

CAP. 39.

Anno 1596. 2. Novemb. CVm ab vrbe navigaſſemus retro certas Inſulas, ad exonerandum *Ioncas*: proprietarios ſive dominos *Ioncarũ* certiores fecimus, vt claſſem appellerent, & nummos reciperent: qui nunquam reſponſum dederunt. Bidui ſpacio intactas reliquimus, ſperantes alicuius dominorum adventum. Nos vero conſiderantes, quod nullum obtineremus reſponſum, ipſas exoneravimus, vt dictum eſt.

Incolarum apparatus vt nos opprimerent. Incolæ apparatum fecerunt magnum, vt nos invaderent, incitantibus præſertim Luſitanis, qui auxilium præſtare voluerunt, & in illum finem Imperatorem vocaverant, ad expeditionem complendam: vir enim erat militaris, ſtrenuus & intrepidus, ad actum egregium aggrediendum. Hic cum ſex aut ſeptem Cymbis erat iuxta *Pulo* dua 150. viris armatis, paratus ad pugnam; dicens ſe vrbem ingredi non poſſe, & inimicum vrbis *Bantam* ſe declarans, nobiſque ſignificans quod noſter eſſet amicus ſynceerus: in ſignum cuius, nobis Capram dono miſit, noſtrum auxilium requirens contra incolas *Bantam*. Die 2. Novembris diu *Ioncam* in mari perſequebantur, qua tandem vi potiri ſunt: Bantani id videntes, duas Ioncas emiſerunt, quæ noctu longe in mare excurrebant, & in aurora *Bantam* navigare ſimulabant, vt quemadmodum pridie, noſtræ Celoces eas perſequerẽtur, & longe extra Tormentorum iactum ſe darent: vt ipſis ſuis biremibus iter poſſent intercipere, & noſtros opprimere: nam in il-

lum

lum finem paratas habebant plures biremes ſub inſulis *Pulo dua*, ſed Dei providentia, Celoces noſtras non emiſimus, fraudem metuentes.

Imperator ſecundo *Paraos* miſit, ad claſſem donaria aliqua adferentem, ſalvum conductum petens; quod illi conceſſum fuit.

Imperator Salvũ conductum petit.

Tertio Novembris appulit Paraos navem Mauritium, in qua quatuor aut quinque Sinenſes fuerunt: fuitque hoſpitis frater qui ſolutionem requirebat: at nemo illi fidere volebat: Sed dominos aut Capitaneos Iuncarum volebant; qui, vt aſſeruit, Proregis mandato capti erant; illos accuſans, quod nobiſcum convenerant. Annonarij varijs cibarijs claſſem appulerunt; his libenter literas dediſſemus ad Proregem: qui ſe excuſantes, dicebant ſine Proregis conſenſu, & notitia, claſſem appuliſſe, ideoque non audere literas deferre. Et indicaverunt nobis magnum belli apparatum factum, & claſſim Paraos & biremium iam fere paratam, atque deliberatum quis illorum claſſem, aut navem talem invaderet: quare ab inſula receſſimus, ne a parte poſtica ab improviſo opprimeremur, & inimicum melius conſpicere liceret venientem, & illi reſiſtere.

Die quarto, Imperator dictus, cum licentia claſſim appulit, requirens vt altera ex *Ioncis* illi daretur, cum illis vti nollemus. Cui reſponſum fuit ſi dominus *Ionca* veniret, traderetur & reſtitueretur illi, vna cum nummis mercium quæ in ea inventæ fuerunt: qui ſi non venerint, tunc eſſet ad ſuum mandatum: exiſtimo tamen ipſum magis veniſſe ad explorandum, quam vt *Ioncam* haberet. Narravimus illi ea quæ præterita erant in noſtro primo adventu, quodque nobis ſignificatum fuit, illum eo veniſſe, vt nos opprimeret & proderet. Ille vero reſpondit, cũ eſſet illis odio, fieri potuit vt ſic eius detraherent honori & famæ: ſed eorum nihil eſſe, & quod talibus fidem non adhiberemus. Indies nos acceſſerunt nonnulli Guſaratẽs & Abyſſini, ſed occulte. Imperator rediens die quinto huius menſis, adduxit omnia neceſſaria ad avehendas *Ioncas*, at illi iterum reſponſum fuit, vt prius. Nobis iterum ſignificavit de claſſe Bantam, vt brevi nos invaderet.

Imperator claſſim appellit.

Die 6. Legati & Naucleri congregati fuerunt, vt de navigatione deliberarent, cum nulla nobis amplius negociatio Bantam expectanda eſſet: quare deliberarunt vt primum navigarent ad flumen *Tanianisva*, ad aquãdum: & tunc concluderent, an inſulas Moluccas peteremus, aut in patriam rediremus, quod Naucleri plurimum vrgebãt: allegantes plures rationes defectus: ſed Legati vrgebant iter ad inſulas, ex quo tempus & *Moncon* pro foribus eſſet. Hoc die aliqui nobis indicarunt, Bantanos paratos eſſe poſtero die nos claſſe ſua aggredi, in qua multi nobiles & vrbis capita eſſent, vt ſuos in pugnam ducerent. Præterea quod Ioncas prædictas in mare miſerint, vt noſtris celocibus eas perſequeremur, & tunc nos opprimerent. Nos equidem id intelligentes, & conſiderantes quod nec lucro, nec honori nobis cedere poſſet, etiam ſi multos ex ipſis occideremus: immo econtra aliquos ex noſtro parvo numero amittere poſſemus, qui nobis ſumme neceſſarij erant: veſperi levatis anchoris, primo noctis quadrãte, vela dedimus verſus flumen *Tanianiava*, ad Orientem Bantam diſtans miliaria octo, quod ab AEthiope Guzarato, poſtero die oſtenſum fuit, ad Occiduum angulum Sinus *Iacarta*, retro certas inſulas; anchoramque poſuimus ad Phœnicem oſtij eiuſdem fluminis, in gurgite 10. orgyiarum, & fundo argilloſo. Reperimus hic terram Iavæ maxime extendi ad Orientem & Occidentem; quæ terra erat humilis & plana, multis alveis, ad quos plures villæ & fluvij ſunt, ſed vt plurimum pulvinis & vadis, impediti: vt ſunt *Punctan* & *Tanbara*, populi frequentia & *Paraos* gaudentes, navigantes Iacatra & Oris vicinis, verſus *Bantam*. Terram verſus ſitæ ſunt quinque exiguæ Inſulæ habitatæ; ſimiliter verſus mare: inter quas omnes navigari poteſt; quarum plures egregijs hortis, Iavanicis fructibus repletis, ornatæ ſunt, & polite reguntur. Sub ijſdem inſulis magna piſcium eſt copia: quare maior pars piſcatorum *Bantam*, eo piſcatum navigant. Fundus ſcopuloſus & vadoſus.

Moniti fuimus de adventu Bantanorum.

Die 8. Novembris, Celoces noſtras viris munivimus, & Bolidis gubernatore fluvium petivimus; vt eundem nobis oſtenderet, vt & fecit: fluvius erat magnus & profundus, ſed ad eius Oſtium pulvinus erat. Illic invenimus focos aliquos, vbi aliqui piſcatores ignem ſtruxerunt & pernoctarunt, eo quod piſcium copia aderat. Vidimus quoque veſtigia, ſed neminem percepimus, non obſtante quod miliari vno in fluminis aſcenſu villa magna ſit ſita, ſub dominio regis *Iacatra*. Poſtero die Sinenſes quidam Parao, nos appulerũt; inter quos Hoſpitis affinis erat. Hi amphoras aquæ ardentis adferebant, quam Iaçatræ nobis emerunt, iterumque *Iacatram* redire voluerunt ad comparandum refocillationes, nobiſque indicarunt quod *Iacatrã Ionca* onerata erat nucibus myriſticis, quæ brevi ex inſula *Banda* appulerat: ſed ſuſpicabamur, illũ hoc dixiſſe vt ſe vindicaret ob amiſſionem ambarum prædictarum *Ioncarum*, quæ vt illi viſum fuit, non ſolverentur: idque præſertim quod indies magna copia Paraos *Bantam* viris munita navigabant verſus *Iacatram*, quod hac in regione inconſuetum erat: immo Iavani met admirabantur.

Die 8. Novembris Celoces armatæ.

Die 11. Novembris, *Parao Bentam* venerunt ad explorandum, & noſtram deliberationem inquirendam, ſub prætextu, quod vaſa Porcelania, & cibaria aliqua haberent venalia: nobis perſuadentes quod Luſitani emiſſent Iõcas atq; nuces odoratas, & quod eas coacti fuiſſent ſolvere: quodque nõnulli Luſitani ſclopis perierint, inter quos naviculæ navarchus ictu Tormenti perijſſet, quod falſum erat. Frater hoſpitis rurſus navem Hollandiam appulit, dicens Ioncas cum nucibus myriſticis, adhuc eſſe ad oſtium fluvij non longe a Iacatra: & vt ea de re plura ſciret, miniſtros ſuos *Iacatran* iterato miſit: ſub prætextu emendi plura cibaria.

Bantorum explorandi ratio.

Die 12. Novembris Conſilium nauticum congregatum fuit, & deliberatum navigare in *Sumlam* Calapam aut

Iacatram, ad explorãdum quidnam eſſet de Ioncis Nucum Myriſticarum, & an poſſent obtineri, ipſas ſolvendo, prout decebat, vt deinde pro temporis exigentia nos gubernaremus: ſicut poſtero die, quam primum ſervi redierant cũ annona, noſtra ſipara extẽdimus, & Iacatrã navigavimus, a tribus inſulis quæ ante flumẽ ſitæ erant, ad mare curſum dirigentes, eo quod alter pulvinus, qui ad Libanotum eſt, terram verſus ſe extendit. *Iacatram* navigando, curſum fecimus ad Notapeliotem, ſæpius curſum noſtrum mutantes, vt inſulas vitaremus. Sub veſperam ante vrbem *Iacatram* venimus, ubi Polus Antarcticus elevatur grad. 5. 40. ſcrup. quæ primo *Sunda Calapa* dicta erat, ob abundantiam Cocos, aut Nucum Indicarum, quæ Malaice Calapa dictæ ſunt: anchoramque profundo commiſimus 7. orgyiarum, ſemimiliari ab vrbe, & fundo argilloſo: eratque terra humilis & plana, ventricoſa, & multis inſulis munita, eaque de cauſa noctu difficilis ad internavigandum. Vidimus *Ioncam* quam dixerant, ad oſtium fluvij, multaſque Paroas adnavigantes, & abeuntes, ac ſi eandem exoneraſſent & *Bantam* navigaſſent: ſed nihil niſi fraus erat. Nam fluvius Paraos implebatur viris munitis: vt ſi noſtris celocibus eandem adnavigaſſemus, ipſi in itinere noſtros oppreſſiſſent.

Quid Sabãdar obtulerat.

Die 14. Novembris mane, multæ *Paraos* ex vrbe nos appulerunt cum cibarijs, nec non vrbis Sabandar, nobis offerens, ſi quid opus haberemus, ex vrbe ea de re nobis provideret: & ſi quenquam in terram mittere vellemus, offerebat ſe obſidem in eius reditum: quare vna cum hoſpitis affine duos viros in terram miſimus, vt intelligerent an aliqua ſpecierum quantitas ibi haberi poſſet. *Sabandar*, vir valde civilis, & optime Luſitanicam loquens linguam, cum ipſis civitatem adnavigabat, ubi noſtri invenerunt habitationem domorum 3000. fere, quam perluit egregius fluvius: & oppidum vallo circundatum erat, ſed incolæ fere omnes terræ interiora petierunt. Sabãdar noſtros in ſuis ædibus optime excepit, qui veſperi redierunt ad claſſem, nulla onerationis percepta apparentia quam *Sabandar* & alij promiſerant: Regi, qui ulterius in provincia erat, noſtrum ſignificavit adventum. Quod magis egregium in hac eſt vrbe, fluvius eſt, qui vlterius in provincia, vt dictum eſt, fontem aut originem habet, & quod terra aquis, & varijs cibarijs & fructibus abundat, quorum die poſtero magna copia ab incolis adferebatur, quæ amiciſſime ab ipſis comparavimus.

Rex navem Hollãdiam accedit, & viſitat.

Die 16. Novembris Rex appulit navem Hollandiam, comitatus multis Proceribus & Nobilibus; cui, poſtquã navem viſitaſſet, donum aliquod datum fuit, cuius maximas nobis in receſſu egit gratias; nobis viciſſim offerens omne auxilium, omnemque favorem, ſi quid nobis opus eſſet.

Die 17. Conſilium nauticum congregatum fuit, & deliberavit navigare verſus Orientalem Iavæ terminum, vbi nullum potuimus obtinere lucrum. Quare die poſtero anchoras levavimus, curſum ad fretum dirigentes, ſecundum oras *Iava*, Orientem verſus. Eodem die, poſt navigationis horam, navis Amſtelrodamum, in vadum impegit, diſtans miliaria duo fere *Iacatra*, inter ventum & aquam, quod videri non poteſt, niſi quis in eo ſit: nam non æſtuat; vnde navis læſa fuit aquam hauriens. Celocem noſtram eo miſimus, quæ remorum vi, eam abduxit. Adventante veſpera, anchoram eiecimus (quia periculoſum eſt ibi noctu navigare) in gurgite ſex orgyiarum, & fundo argilloſo, circa 6. miliaria a *Iacatra*, eramuſque ante *Cravaon*; villa in qua multi piſcatores habitant, ob ingentem piſcium abũndantiam, quæ in oſtio eſt magni fluvij, ad quem villa hæc ſita eſt, qui tribus oſtijs in mare ſe exonerat. Sequenti die anchoras levavimus duabus horis ante diem, & velis extenſis, curſum fecimus ſecundum Oram: ſic die currendo abſque aliquibus certis ſignis, ad deſcendendum in terram; vbi terra vt plurimum ventricoſa eſt, adeo vt ægre recti tractus percipi poſſunt, eo quod ubique ſit terra humilis, in diem 22. Novembris, & donec terram altam *Charsbaon* agnovimus: in qua duo montes excelſi, invicem propinqui, valle intermedia: ſemper veſperi anchoram ſolventes prope terram in fundo argilloſo, & diverſo profundo, conſpicientes navigare iuxta terram Paraos diverſas. Die 22. huius *Ionca* occurrimus, quam navis Amſtelredamum, & Pinaſſa perſecuti ſunt, ſed eam convenire non poterant: quare curſum noſtrum perſequentes, die 26. huius menſis tempeſtas valida exorta eſt, quæ navi Hollandiæ Siparum abſtulit. Die 27. multos piſcatores conſpeximus qui ex mari litus petebant, & nobis dixerunt nos iuxta *Iaparam* eſſe. Collegium ſæpius congregatum fuit, vt reſolvi poſſet de propoſitione: nam Legati inſulas Moluccas petere volebant, ad tentandum ſi aliquam negociationem ibi habere poſſent: quæ aberant fere 200. miliaria ad Orientem: habentes ventum & fluctum faventes. Naucleri volebant expectare ad Sumatræ inſulam, certas *Ioncas*, quæ Bantam navigaverant pro Pipere, quam deinde Sinenſibus venderent, ſed fruſtra.

Noſtri Ioncam perſequuntur.

Die 24. Novembris, iuxta inſulam venimus, vnde piſcatorum copia mare petebat: qui nobis Indicarunt, ut ad Auſtrum Inſulæ navigaremus: quare ſuſpicati ſumus habitationis locum ibi fuiſſe. Hæc inſula continebat montes excelſos, & terram humilem ante inſulam, arboribus optime conſitam. Hic Polus Antarcticus elevatur 6. gr. dictaque eſt *Kyrimaan Iaca*, non longe a terra firma diſtans, & anchoram commiſimus gurgiti 10. orgyiarum, & fundo argilloſo, ſemimiliari a terra, ad partem Occiduam. Iterum collegium congregatum fuit, ſed pro veteri more, nihil actum.

Inſula Kyrimaan Iaca.

Delineatio

Delineatio, quomodo Iavani Cidayo Brandaon, *&* Surubaya *appulerunt navem Amſtelredamum, & proditorio modo opprimere putabant, occidendo Navarchum, Nauclerum, & decem claſſiarios: qui poſt a reliquis, fortiter pugnando, e nave pulſi fuerunt, cum internecione 150, virorum, quos amiſerant in noſtrorum vindictam. Praeterea parva menſura his habes adnotatam terrae faciem, eo e mari navigando.*



Claſſis ad anchoram poſita in portu Cidayo, & proditio Regis Cidayo ad Brandaon.

CAP. 40.

ERrantes magno labore & moleſtia ſecundum oras, abſque vlla finali deliberatione, die 2. Decembris curſum inſtituimus litora verſus, quo multos conſpeximus piſcatores navigare, qui nobis dixerunt, terram eſſe ſupra *Tubaon*. Omnem adhibuimus diligentiam ad ſuperandum angulum, qui ante nos extabat. Terra hic ſe extendit ad Ypeurum, & Meſocorum, eſtque montoſa & cognoſcibilis terra; in qua mons excelſus, apparens ab Occidente venientibus verſus Orientem, in forma Galeri: In vertice eiuſdem arbor eſt reliquis omnibus eminentior: & ad Occidentem eiuſdem excelſi montis, apparet magnus ſinus, fluvio fere ſimilis. Navigavimus ad Cæciam, ſeſquimiliari a litore, vento Boreali, aut altano æqualiter flante: & noſtrum perſequentes curſum, alium vidimus extantem angulum, & oram ventricoſam, quo quopue plures piſcatores. navigare conſpeximus, & *Ioncas* quaſdam ad anchoram poſitas: quare nos ibi anchoram eiecimus in gurgite 10. orgyiarum, & fundo ceruleo lutoſo: vbi mox orta eſt tempeſtas, adeo vt anchoræ firmari non poterant; ſed continuo penetratunt. Terræ Incolæ videntes naves ad anchoram poſitas, *Parao* miſerunt nos alloqui: qui ob tempeſtatem appulerunt navem Amſtelrodamum, quia litori proximior erat, nobis gratulantes adventũ, & lætos ſe exhibentes ob noſtrum adventũ, requirẽtes vt ibi maneremus in diem poſterũ: aromata enim habebant, quæ nobis vẽdere volebãt; nẽpe Garyophyllos, & Macerẽ, & Nuces Myriſticas: quæ a ſuis *Ioncis* advectæ erant. Noſtrã Celocẽ eo miſimus, vt certiores eſſemus quidnã ibi dictũ eſſet: quæ rediẽs nobis iã dicta declaravit: quare deliberavimus ibi pernoctare: ſed cũ anchora noſtra perfringeret, cogebamur vela facere, reliquas naves monẽdo de noſtro receſſu. Sed cum navis

Terræ tractus.

Parao Incolæ navem appellunt.

Hollandia nos ſequi putabat, pulſæ fuerunt naves ad alterutrius alvum, & Pinaſſæ magnus ſtylus cum Corbe ab alto decidit: & altera navis non ſine damno evadens, coacti fuerunt iterum anchoram demittere, & nos eiaculatione tormenti, damni paſſi certiores reddere: quo non obſtante altum petivimus contractis velis, hac nocte obliquantes, ad alterum diem conſequendum.

Die 3. Decembris, rurſus verſus terram navigavimus, vt iuxta reliquas naves anchoram eijceremus, & intelligeremus quid boni adeſſet. Terra hæc montoſa eſt, & per tres longos, & planos montes cognoſcibilis, tres nuptiales menſas referentes, Luſitanice *As meſas Tubaon* dictas, Malaice vero *Batto Gillingh*. Sub veſperam reliquas acceſſimus naves, & ibi anchoram poſuimus: ex quibus accepimus diverſas *Paraos* appuliſſe, adferentes refocillantia, & cibariorum donarium. Præterea incolas dixiſſe adeſſe 3. *Ioncas* cum Caryophyllis & Nucibus odoratis, a Navarchis nobis venales oblatas. Sed vt ea de re ſecuriores eſſent, virum cum Guzarato in terram miſerunt, retinendo tres obſides, vt ipſi inquirerent an aliquid oneris obtineri poſſet. Hic quatuor erant vrbes invicem vicinæ; quarum Occidentalior erat *Tubaon*, & *Cidayo*, *Brandaon*, & vltima *Subrubaya*, vt minima, & magis Orientalis. A meridie noſter cum Guzarato, navem rurſus appulit: qui referebat Regem magnifice equo inſidentem ibi ſe monſtraſſe, ſtipatus 30. fere equitibus: qui armati erant longis haſtis; & reliqui pedeſtres armati Machæris evaginatis: quodque illis egregium Caryophyllorum ſpecimen oſtenſum fuit, cuius Incolæ primo mentionem fecerunt. Tunc quoque donata fuit avis Eeme, quam nobiſcum adveximus.

Rex equo inſidens, ſe oſtendit comitatus aliquot equitibus.

Die 4. Decembris multæ *Paraos* appulerunt claſſem, & inter alios Luſitanus renegatus, qui iam ſeptennio ibi habitaverat, vt ait; ſed nos ſuſpicabamur a Luſitanis miſſum fuiſſe, vt procuraret ea quæ poſtea acciderunt. Hic nobis obtulit Bolidis Gubernatores, qui ad Moluccas Inſulas nos deducerēt. Dixit quoque ſe miſſū fuiſſe a Rege *Tubaon*, vt nobis felicem optaret adventum: qui & obſidem ſe obtulit donec omni rei neceſſariæ provideremus: quare iterum duos in terram miſimus, qui duos equos ibi paratos inveniebant, vt ad Regem equitarent, Lella dictum, quos noſtri, recuſarunt & pedeſtres Regem acceſſerunt; qui eos humaniſſime excepit, ac dixit ſe die poſtero ad claſſem venturum, nobis offerens quales obſides vellemus, vt libere in terram deſcendere poſſemus. Deinde noſtris, prout conijcere poterant, oſtenſa fuerunt circa 26. onera Caryophyllorum, quas venalia offerebant, & omni humanitate nobiſcum tractare: tunc noſtri licentiam obtinentes, claſſem repetierunt. Poſtero die omnem apparatū fecimus, vt Regem magno honore exciperemus; qui, vt dictum eſt, claſſē appelleret: quare cuncta apluſtra vento commiſimus, & naves diſpoſuimus. Incolæ in littore ſtantes, videntes apluſtra ventilare, timuerunt: eaque de cauſa *Paraos* ad claſſem miſerunt, interrogantes quare apluſtra vento commiſiſſemus, cum amice nobiſcum tractarent, & *Bantanorum* inimici eſſent: vbi apluſtra vento commiſimus, cum vrbem oppugnaremus tormentis, aut excurſiones faceremus. Cui reſponſum fuit id fieri in Regis honorem, eoque accepto, ad terram remigarunt. Luſitanus iterum navem Mauritium appulit, & petijt merces aliquas videre, nempe pectorale armaturæ, & pānum rubeum: quæ, vt ſimulabat, emere voluit Regis nomine: & in illum finem requiſivit eadem poſſe ſecum in terram deferre, quod illi negatū fuit, iterumque terram adnavigavit. Interim vidimus duas *Ioncas* iuxta litus, quæ poſtea vela fecerunt verſus mare, & deinde redierunt, vt eas noſtris Celocibus perſequeremur, & naves viris privaremus, vt facilius eas opprimerent, quod propoſuerant. Brevi poſt ſex *Paraos* magnæ, in forma biremium, viris munitæ, claſſem adnavigarunt; quarum tres navem Amſtelrodamum acceſſerunt, reliquæ tres Pinaſſam petierunt. Qui navem Amſtelrodamum appulerunt, adferebant duo animalia, ſimulantes ea velle donare: ſed navem aſcendentes, pugiones (quos *Creis* nominant) eduxerunt, & primos occurrentes perfoderunt. *Sabandar* qui ductor erat, Legatum, Nauclerum, & duos alios lethaliter vulneravit: vt & fere omnes fuere, qui in navis ſuperiore parte erant; eo quod ab improviſo oppreſſi erant, inermes: reliqui qui ſub tabulato erant ſe defenderunt, & verubus, haſtis, & machæris tam fortiter pugnarunt, vt multos occiderint, & auſi ſint tranſennam aſcendere, vbi catapulta petras eijciente locū evacuarunt, & Iavanos navi expulerunt. Ad navē *Parao* erat, in qua multi erant vulnerati, quæ tormento ex ferro fuſo ad fundum pulſa fuit. Tres *paraos* quæ Pinaſſam petierunt, conſiderantes quod ſui e navi pellerentur, non auſi ſunt Pinaſſam aggredi, ſed remigando navem Amſtelrodamum prænavigarunt. Nos qui in reliquis navibus tormentorum iaculationes audivimus, animadvertētes difficultatem eſſe, cum Iavanos videremus e naui tanta celeritate ſaltare, noſtras Celoces ingreſſi ſumus, & Paraos perſecuti: quarum vnam remigando attigimus, quam ſclopis fortiter adorti ſumus: deinde machæris ſalutati ſumus, non ſolum qui in ea erant, ſed & omnes quos invenimus natantes, ex nave Amſtelrodamo delapſos, ita vt pauci evaderent. Qui in litore erant videntes ſuos tam atrociter tractatos, 13. *Paraos* magnis populo munitis nos adnavigarunt. Quod qui in navibus erant animadvertentes, tormentis adeo ſalutaverunt, vt coacti erant terram repetere: nos vero laſſi exiſtentes, aliquos captivos fecimus, & nauem Amſtelrodamum remigando adnavigavimus vbi miſerabile ſpectaculum vidimus: nam primo aſcenſu multos occiſos vidimus, tam ex noſtris, quam ex alijs, quodque magis miſerandum erat, fuit mors pueri 10. vel 11. annorum, Naucleri cognati: quem Inhumani Iavani plus 13. vulneribus poſt mortem perfoderunt: quod tantum excitavit in nobis dolorem, quod captivos perfodere iuſſimus. Hi nobis retulerunt quod nos inſequuti eſſent ab vrbe *Bantam*, & quod *Iacatram* veniſſent, vt *Ionca*, Nucibus Myriſticis onerata, nos deciperent: & iſtinc *Iaparam* venerant, vbi nos expectaverunt, & eo elapſis aliquot diebus venerant, a Rege certiores facti de noſtro adventu. Præterea quod ambæ *Ioncæ*, quas matutino

Duos interram miſerunt, qui humaniter excepti ſunt

Quo modo navem Amſtelrodamū cogitabant opprimere & aliquos noſtrorum occiderint.

Aliquæ Paraos a noſtris perſequutæ, quarum vna expugnata fuit.

tempore

tempore ad litora vidimus, ibi poſitæ eſſent vt nos allicerent, & in itinere intercluderent. Ex omnibus his periculis liberavit nos Omnipotens Deus: qui in noſtra prudentia adeo excæcati eramus, quod nulla nobis ineſſet ſuſpitio: & vere ob noſtra delicta, Dominus Deus permiſit nos ſic caſtigari. Iavanorum occubuerunt circiter 150., & ex noſtris 12.; & 4. vulnerati erant, qui poſtea curati fuerunt. Totum hunc diem trivimus, eijciendo in mare occiſos; & Iavani mortuos ſuos piſcando, qui tormento aliquando ſalutati fuerunt.

Occiſorum numerus.

Claſsis ſub Madura venit, & iſtinc verſus Pulo le Bock: *& quid acciderit.*

CAP. 41.

CONſiderantes occiſionem, quæ ibi acciderat; quæ negociationi cum Iavanis finem impoſuit: & quod nos non potuimus aliter nos vindicare (quamvis vrbem egregijs muris lapideis & propugnaculis munitam conſpiceremus) ob parvas vires, & noſtrorum exiguum numerum, & quia tormentis vrbem oppugnando, naves noſtras nimium debilitaſſemus, anchoras levavimus, & vento regionali nocte vela dedimus, navem Amſtelrodamum viris muniendo: curſumque fecimus ad Inſulam *Maduram*, & navium ſtationem, quæ in parte Occidua ſita eſt, vbi præcipuum eſt inſulæ oppidulum, & Cheriffæ habitaculum. Anchorã profundo commiſimus 8. orgyiarum, & fundo arenoſo conchis permixto. Mox nos ibi appulerunt duæ *Paraos*, ſed navem conſcendere non audebant, nobis offerentes nomine magiſtratus omnem favorem, qui omni humanitate nobiſcum tractare cupiebat; requirentes vt in navium ſtatione diebus aliquot manere vellemus, mitterent nobis refocillationes. Noverant quæ nobis ad Cidayo acciderant, qui multas *Paraos* habent hinc inde navigantes, per quas moniti erant de noſtro adventu. Poſtero die, poſtquam innumeros piſcatores vidimus altum petere, *Parao* claſſem appulit, in qua 28. viri erant, qui nobis dixerunt ſe habere aromata nonnulla, quæ collegerant ex nave quadam, quæ anno elapſo ibi in pulvino perierat: quæ nobis vendere offerebant: ſed meræ nugæ fuerunt. Nam cum alios interrogaremus, nihil de his aromatibus ſciebant: at his nihil obſtantibus Dynaſtæ donata fuerunt duo ſpecula. Vidimus per fretum, quod inſula *Madura* format cum *Iava*, adoleſcentem ad Occidentem navigare, & alterum Maduram verſus. Die 8. Decembris, interim quod occupati eramus in venditione mobilium mortuorum, vidimus tres *Paraos Madura* venire, in quarum prima, Interpres & miniſter Cheriffæ erat, qui interrogatũ venerunt an Rex & Cheriffa poſſent appellere claſſim, adferentes Capras aliquas, Oryzam & adoleſcentes venales. Conceſſum illis fuit: ſed quia a vulneratis ad Cydayo difficultas aliqua orta eſſet, illis dictum fuit vt navem Mauritium appellerent, & non iſtam navem; quo cum reſponſo receſſit, vt Regi & Cheriffæ indicaret, qui in reliquis *Paraos* adnavigabant, recta petentes navim Amſtelrodamum, ſive Interpres referre neglexerit, ſive malo ingenio id fecerint: vnde 13. viris verſus navem Mauritium remigando navigavimus. Vna *Paraos*, quæ Biremis erat, habens tabulatum, in quo duo ordines virorum ſedebant omnino pleni & elevati: quare qui in navi Amſtelredamo erant expavefacti, præcedentis horroris memores, cogitabant ſibi providere, & tria tormenta in biremes eiacularunt; quorum vnum laterna oneratum fuit, qua Biremis omnino diſparata erat, & fere omnes viri, aut occiſi, aut vulnerati: nos moniti eiaculatione navis Amſtelrodami, Celocibus noſtris adnavigavimus, quia ſariſſas aliquas erectas habebant, & clypeos oſtenderunt. Accedentes, illi qui adhuc ſani erant ſe defenderunt; quare illos invaſimus. Et poſtquam in ipſo ardore oppreſſi eſſent, reliquos omnes captivos fecimus, nempe 21., inter quos & mulier erat. In biremi invenimus occiſum, *Cheriffam*, & Regem, qui ad cingulum habuit bullam ex auro factam, & 5. gemmis ornatam: quæ illi ablata fuit: ipſe vero & Cheriffa, qui brachia amiſerat, in mare deiecti fuerunt. Poſtquam captivi ad navem deducti eſſent, & vulneratorum vulnera ligata, examinati fuerunt: quorum aliqui fatebantur, ſi viam vidiſſent, quod navim obruiſſent: ſin autem, aliquid emiſſent: Inter captivos Regis filius erat, octennis fere, eleganti corpore & membris: & adeo ingenio præditus & diſcretus, vt omnes ipſum admirabamur. Puer hic pro ſuis omnibus orabat, vt eos liberos dimitteremus, quod factum fuit: & poſtquam aliquid comederunt, *Paraos* præparata fuit, & 19. in terram miſſi fuerũt: retinentes tantummodo duos adoleſcentes in navi Hollandia, ad miniſterium eiuſdem. Erat hic populus adeo pertinax & robuſtus, ſicut & *Cidayo* populus, vt impoſſibile dicas: nam etſi haſta aut gladio perfoſſi eſſent, corde exiſtente illæſo, vrgebant gladium aut haſtam arripientes, vt inimicum, ſi fieri potuit, occiderent: & quamvis in aquis eſſent, ſe defendebant ſuis pugionibus adeo fortiter, quod noſtrorum audaciſſimos occidiſſent, niſi adiuti fuiſſent. Factum hoc nos iterum noctu fecit dare vela die 9. huius, vidimuſque adhuc mane terram. Conſilium nauticum rurſus congregatum fuit, ad deliberandum, an naves idoneæ erant ad navigandum verſus inſulas *Bands* Amboyna, aut Moluccas, vel non: præterea an vnam ex navibus derelinquerent, nec ne: ſed convenire non poterant: quare & in poſterum diem dilatum fuit; quo iterum Conſilium congregaretur: vbi Legati, alijs rebus occupati, adeſſe non poterant: ſed pro reſponſo dixerunt, ſi Naucleris viſum eſſet, vlterius non navigare; quod tormentum eiacularentur, & ad terram valde altam, quæ nobis ad Cæciam erat, curſum dirigerent, flante Subſolano. Legati hoc die manſerunt in navi Amſtelrodamo.

Navigatiõ ad Inſulam Maduram.

Quomodò de noſtro advẽtu admoniti fuerunt.

Requirit rex Claſſem appellere.

Biremes diſparatæ & viri omnes fere occiſi aut vulnerati.

Mortui in biremi inventi, qui.


Populi huius pertinacia.



Inſula dicta le Bock,cuius hac facies,cum ſub ea ad anchoram eſſemus, ad latus Auſtrale,die 12.Decembris 1596.quæ ſub dominio eſt Regis Iapara,*qui anno 1593. ibi Coloniam duxit.Erant in eadem viri incolæ fere 100. Fanum erat ſupra angulum Orientalem,arboribus Cocos plantatum,vbi præcipui habitabant. Prater Gallinas & Bubalos nihil habuerunt quā feras.* A. *Ad Libonotum huius anguli,pulvinus apparens eſt,& ex aquis eminens,duos ictus tormenti ex ferro fuſi diſtans a terra. Ad orientem terræ huius Inſulam percepimus dodrantis miliary capacem.*

Die 11.Decembris terram verſus navigavimus,anchoramque commiſimus gurgiti 15.& 18.orgyiarum,& fundo argilloſo,ad inſulæ latus occiduum.Legati libellum remonſtrationis exhibuerunt,vt his præteritis diebus determinatum fuit: quem Naucleri non admittebant.In litore vidimus viros 22.ambulantes, Inter quos Dynaſta
Terræ fecunditas. erat.Cervum habebant,quem venalem offerebant;ſed nemo noſtrum ante poſterum diem terram adnavigavit: tunc ego terram ſcapha appuli,quæ nominata erat,*Le Bock*:quo ex mandato Regis *Iapara*,ante tres annos,ſub cuius erat dominio,Colonia deducta fuit,ſub imperio Equitis aut viri nobilis;quæ terra indies melioratur per agriculturam,quam incolæ exercent.Oryzæ,Gallinarum,& Armentorum gaudebat copia; ſicut & Cervorum,& volatilium.Plurimum deſiderabant Ferrum & Plumbum.Incolas ſex alloquebamur,qui nobis dixerunt vt meridie reverteremur, adferrent ex omnibus quæ habebant;quare ad claſſem reverſi ſumus.Bolide fundum tentavimus iuxta terram & ſcopulum,& profundum invenimus 11.orgyiarum,& inde ad claſſem plærunque 13.orgyiarum. Circa meridiem Celocem noſtram in terram miſimus, vbi incolæ nos expectabant; & ab illis emimus Gallinas & fructus aliquos. Appulit claſſem *Parsos* cum fructibus quibuſdam, & indicavit Dynaſtam iſtius Inſulæ ad litus veniſſe, qui nos conventos volebat: ſed cum aura tempeſtuoſa eſſet, eo die nihil actum fuit, ſed in poſterum
Petitio Legatorum. diem dilatum:quo multa in litore adferrent:quare die 13.litus adnavigavimus;ſed quia dies Veneris eſſet, & illorum Sabbathum,parum obtinere potuimus. A Meridie Legati exhibuerunt præter prædictum, alium libellum ſupplicem:ſed Naucleri nulla ſcripta recipere voluerunt: quare a Legatis verbaliter requiſitum fuit a Naucleris, vt Legatis concedere vellent navem Hollandiam,& Pinaſſam, vt cum voluntarijs ad Moluccas inſulas navigare poſſent: quod quoque negatum fuit: & quod navis Amſtelrodamum derelinqueretur, omniaque eius armamenta navi Mauritio traderentur, ſicque domum reverterentur, Dominis Curatoribus noſtri itineris rationem reddituri: ſed nihil profuit; nam Naucleri naves nolebant ſeparari: & nummos ex navi Amſtelrodamo levare voluerunt,metuentes ne aliqui alio vellent navigare:quod & negatum fuit: reſpondentes,quod velum addere volebant,& ad Occidentem,patriam verſus navigare:quod a meridie fecerunt vento inſulano ſpirante. Ad Libonotum anguli eiuſdem Inſulæ, vadum erat aquis eminens & ſiccum, ab ea miliare fere diſtans. Diſtat hæc inſula circiter 12.aut 13.miliaria,*Iava*:& ſereno cœlo lucēte videri poſſunt duo montes in inſula *Iava* ſiti; ſuſpicor eſſe montes excelſos *Paſſarvan.* Habet hæc inſula duas alias parvulas Inſulas adiacentes.

Die 14.Decembris,elevatis velis,non longe ab Inſula exiſtentes,ob adverſantem ventum & fluctum, & noctis malaciam,multos conſpeximus piſcatores. Nos vero curſum perſequentes ad Occidentem,ſperabamus in itinere ſecuram navium ſtationem invenire, vbi navem vnam derelinquere poſſemus, qui nimis debiles eramus defectu virorum,ad per mare ducendum has quatuor naves: exiſtentes ſolummodo 94.viri ſimul computatis ægris,claudis,& invalidis. Præterea navis Amſtelrodamum,valde debilitata erat & aquam attrahens, ex appulſione vadi ad *Iacatram*:nam ſingulis diei quadrantibus ſentinandi erant bis mille tractus fere:ſub qua ſpe navigantes in 25.Decembris diem, eandem inſulam nobis ad Cæciam,iterum ſitam conſpeximus: Vnde plurimum mirabamur: quam primo intuitu inſulam *Chrimaon Iao* exiſtimavimus, ex quo his duodecim diebus omnem adhibuiſſemus diligentiam, vt ad Occidentem pergeremus: ſed venti Occidentales ac Borrholybici, qui illic a menſe Octobri in Martium ſpirant;nec non aquarum fluctus,qui tunc violenter ad Orientē fluunt: nos retinuerunt: quare iterum ad partem inſulæ Orientalem, anchoram demiſimus in gurgite 27.orgyiarum, & fundo arenoſo: quæ inſula hoc modo nobis apparuit.




Hæc eſt delineatio Inſulæ le Bock dicta, ſub Poli Antarctici altitudine 6.grad.10. Scrup.: quæ primum fuit habitata anno 1593., *ex mandato Regis Lipara, qui eo Liparitarum coloniam miſit, ſub conductu viri nobilis Iavani, qui ab eo illi deſtinatam accepit, & in feudum tenet.*




Ab hoc vado, in hanc parvulam inſulam, & a parvula inſula, ad inſulam Le Bock, vadoſum & ſcopuloſum eſt: quare ad Auſtrum rurſus eſt enavigandum: nam navi Mauritio ad ſcopulos navigavimus. In hoc vado compertum eſt Compaſſum nauticũ declinare ad Borrholybicum gradus 2. ſcrup.25.

Eodem die Nauclerus Ioannes Molitor ſubitanea morte obijt: quæ magnam nobis peperit turbationem: & claſſiarij adeo aſterati fuerunt, vt omnes qui prius maxime deſiderabant vlterius navigare, vnanimiter clamabãt, quod pluſquam tempus eſſet, domum navigare, antequam plures ex hoc venenoſo aerẽ inficerentur: & profecto eius corpus ſatis demonſtrabat, fructus patum ſalubres fuiſſe. Poſtero die occupati fuimus in electione novi Naucleri. Die 25 Decembris Nauclerus Ioannes Molitor inopinato obijt.

Die 27. Decembris anchoras levavimus, & Orientalius ab inſula nos poſuimus, vt meliorem ſtationem haberemus, & facilius aquam recuperaremus: iterumque anchoram commiſimus gurgiti 12 orgyiarum, ubi terræ apparentia hoc modo ſe habuit, & navem Amſtelrodamum, omnibus armamentis privavimus, & exoneravimus: quibus occupati fuimus in diem 11, Ianuarij 1597., quo die illam incẽdimus ignis profecto Societati damno-



Inſula le Bock *a parte Borrhapeliotica, ubi ad anchoram eramus die 10. Ianuarij, & navis Amſtelredamum combuſta fuit. Hic nuſquam enavigare licuit, quam ad partem Auſtralem, qua intravimus. Aderat hic fluviolus, ex quo, cum opus eſſet, aquare liceret: ſed pulvinus adiacet, qui maris ſummo receſſu, ſiccus apparet.*



Nuſquam licet hic enavigare, quam ad angulum Africum, aliter autem foris & intus vbique ſcopuloſum.

A. *Hic navis Amſtelrodamum combuſta fuit. Hic Calcem amiſimus.*

ſus. Interim quod ardebat incolæ multis *Canois* aut *Paraos* ipſam ſuper vadum aut ſcopulum traxerunt, vt ferramenta, quæ valde deſiderant, ſalvarent. Indies quoque multæ *Canoa* naves appulerunt cum fructibus alijſque rebus, quæ emebantur ferro, quod e navi Amſtelredamo recuperabatur. Inter alias appulit *Canoa*, cauſam quærens quare navem combuſſimus, & non potius Dynaſtæ vendidimus, qui nobis ſatisfeciſſet. Navis Amſtelrodamũ igne conſumpta.

Die 12. Ianuarij, duo adoleſcentes, qui iuxta Madurani capti fuerunt, e navi Hollandia fugierunt, & natando ad inſulam *Le Bock*, in terram venerunt, interim quod ſcaphæ noſtræ aquatum iverunt. Pueri Madurani natãdo fugerunt.

Eodem die videntes quod difficulter ibi aqua recuperari potuit; ob pulvinum, qui ad oſtium fluvioli erat, maris refluxu ſiccus: anchoras levavimus, cum intentione navigandi ad Orientalem Iavæ terminũ, vbi nos omnibus rebus neceſſarijs provideremus, ad iter noſtræ reverſionis. Cumque ad Orientem navigaremus, navis Mauritius in ſcopulos, qui in circuitu inſulæ ſunt, tali modo impegit, vt repulſam ſenſerit: & invenimus nos inter ſcopulos

poſitos,

Poli Antarctici elevatio. Acus nauticæ declinatio.

poſitos,ita vt idem oſtium,quod ingreſſi eramus,enavigandum eſſet, iuxta brevia,ad Libonotum: vbi Poli altitudinem,& Compaſſus nautici declinationem obſervaveramus: & invenimus hic quoque eandem 6.grad.10. ſcrup.elevationem;& pyxidis nauticæ ad Borrholybicum 2.grad.25.ſcrup.declinationem.

Tractus Inſulæ Maduræ.

Nos extenſis velis parati,ad enavigandum oſtium,decidit e navi Hollandia nauta, qui nunquam ſuper aquas emerſit.Curſum inſtituimus ad Eurum,ſed nuſquam potuimus pernavigare: quare rurſus verſus *Maduram* navigavimus,& ſecundum oras eiuſdem Inſulæ curſum direximus.Perhumilis eſt inſula,ſine vllis montibus:& die 14.huius,ad angulum Orientalem pertingimus,qui montoſus apparet;vbi ad Orientem inſulæ,plures ſunt exiguæ inſulæ,quas omnes ad latus veli reliquimus,& ad Auſtrum navigavimus verſus fretum Ballabuan, vt ad Auſtrum & retro *Iavā* verſus patriam navigaremus,cum ad Boream,nec ventus,nec tempus anni, nobis favere voluerunt:& conſpeximus eodem tempore terram firmam altam Iavæ,valde montoſam;diſtantes inde 4. miliaria fere:eratque terra alta ſupra *Panarucan*, & ideo recta ad litus navigavimus verſus Notolybicum.

Ianuarij 17. die, Pinaſſa ſcopulo inſidet.

Die 17.Ianuarij ſummo mane, Pinaſſa quæ præceſſerat,tormentum eiaculata eſt;quare omnes perterriti fuimus,metuentes difficultatem aliquam ſuperveniſſe: eoque magis ob aeris obſcuritatem: nam neſciebamus vbi quærenda eſſet,quia eius ignem non potuimus cernere:quare ſecundo eiaculata eſt,& ſcapham ad nos miſit requirere auxilium;vt a ſcopulis,quibus inſidebat,ipſam liberaremus.Quare viros miſimus,qui anchoram educentes a ſcopulo eam liberarunt,& poſt multas moleſtias navigantem reddiderunt.Matutino tempore montem ardentem vidimus ſupra *Panarucan* ſitum,qui primum iam decem annis elapſis flammam evomuit multa cum hominum pernicie & internecione: & fumum evomit obſcuriſſimum.Alium quoque magnum vidimus montē, *Sierra do Pagode*,aut *Precada* dictum,a magno *Pragode* aut Ethnicorum fano,quod in eo eſt:nec non ab oppidulo ad radicem montis ſito,*Pracada* dicto:& nobis apparuit,vt ſequitur,cum circumvicina regione. Ad radicem huius montis inſiderat fundo Pinaſſa. Iuxta oppidulum iam dictum,erant duo alia oppidula, quorum alterum *Chandans* erat, vbi tres *Iuncæ* ad anchoram erant poſitæ. Eodem hoc die fretum Ballabuan ingreſſi ſumus, ſecundum oras Iavæ,in loco ventricoſo qui petroſus & ſcopuloſus, vbi anchoram eiecimus in gurgite 9.orgyiarum, & fundo ſcopuloſo:quod in anguſtiori loco vix ſemimiliari latum erat,habens ad Orientem inſulam Baly,ad Occidentem Iava,terra tota alta & montoſa,vt in delineatione conſpici poteſt:quæ vt plurimum Oryza eſt ſeminata.Hic ſunt certæ veſpertiliones,magnitudine Gallinæ: quas incolæ aſſant & edunt.

Mons ardēs Panarucæ.






* Ad hunc angulum Occidentalem Pinaſſa fundo inſidebat.



Navis Hollandia oram Bali elegit,que cum fere angulum ſuperaſſet,aquarum fluctus,tanta violentia, & rumore ei obviam venit,vt aqua ſpumaret:quare tanta celeritate retroacta fuit,ac ſi volaſſet: nec rudentes vlli eam retinere potuiſſent:nam tribus miliarijs ad Boream repulſa erat,cum periculo appulendi parvam inſulam,inter inſulam *Bali* & *Iava* ſitam;quare anchoram demiſit cuius funis primo inſeſſu diruptus eſt,aquæ violentiam nequiens ferre:ſed tandem ſub inſula Iava anchoram figit in gurgite 48. orgyiarum,exiſtens fere ex conſpectu reliquarum navium.Quare perneceſſe eſt illi qui fretum vult trāſnavigare,quod teneat ſe ad Oras Iavæ:nam ſub Bali 60. aut 70.orgyiæ fundum non tangunt:& inſulæ Bali & freti vultus hic eſt.

ad Me-



Apparentia inſulæ Bali, die 18. Ianuarij, mane, ad anchoram exiſtens ſub Iava, in gurgite 26. orgyiarum.





Die 19. mane nobis ſe iunxit navis Hollandia: & conſpicientes plures *Paraos* ad Oram *Iava*, Celocem viris munivimus, quæ eo navigavit, vt inquireret vbi aqua recens recuperari poſſet. Ibi appellentes, 7. viros invenimus in *Parao*, qui Panaruca veniebant; hi nobis dixerunt quod eo in loco aqua recens recuperanda erat, ſed ſobrie: at *Ballabuan*, vnde adhuc aberamus iter vnius diei, egregius fluvius erat, vbi copiam recentis aquæ obtinere poſſemus, & quod ipſi eo navigare decreverant. Aliquas merces illis donavimus, requirentes vt noſtras vellent accedere naves, & nos ad locum illum deducere, & quod illis ſatisfaceremus, quod nobis promiſerunt. Ad obtinendum aliqua refocillantia, debuiſſemus anchoras eijcere; vbi *Ioncas* conſpeximus iuxta *Chandana*, quo in loco ſatis obtineri poterat. Appulit quoque claſſem nobilis *Panarucanus*, hic ait ſe miſſum fuiſſe a Rege in villam quandam, cuius incolæ omnes aufugerunt ob bellum quod Rex *Paſſervam* gerebat, contra Regem Ballabuan, qui eum ſtricte obſederat, vt ſupra dictum eſt. Hic nobis promiſit in portum *Ballabuan* ducere. Ad oram Bali, in quodam ſinu, innumera vela vidimus, & populum multum in litore. Hic nobis dixit, illos ibi congregatos fuiſſe ad ſuccurendum vrbem, erantque octies mille, exceptis reliquis, qui alijs in locis erant. Nos vero illi non credentes, ſuſpicabamur omnes vires Iavæ ibi coniunctas fuiſſe, vt nos invaderent, & tranſitum impedirent: quare nos præparavimus, vt nos (ſi opus eſſet) parati eſſemus. Congregatio virorum octies mille

Die 21. Ianuarij noſtra Celoce terram acceſſimus, & incolas allocuti ſumus, nec non *Paraos* præſidiariam quæ aquæ recenti providebat, aliaſque naviculas annona oneratas, ad cibandum civitatem *Ballabuan*. Paſſarvani Mahumetiſtæ ſunt, quare bellum fortius vrgent. Nam *Panarucani* & Ballabuani, & circumvicini loci, ſunt Ethnici. Freti tractus erat Phœniceus & Circius. Eodem die navem Mauritium acceſſerunt duæ *Paraos*, quæ *Ballabuan* venerant, in quibus ſervus erat cuiuſdam monachi, qui in Panarucan Chriſtianis concionabatur, & Iavanos baptiſabat. Hic retulit ſe *Ballabuan* fuiſſe, vbi magna erat cariſtia, & quamdiu obſeſſa fuiſſet; quodque tres Luſitani, qui *Panarucan* illuc venerunt, & tormentorum eiaculationem adminiſtrabant, ſpem amiſerunt; eoſque diutius civitatem defendere non poſſe. In freti medio iacentes, valde ſtrictum erat fretum verſus Boream, & valde latum ad Auſtrum, vt ex ſubſequentibus apparētijs conſpici poteſt. Civitati tantum appropinquavimus, quod eam conſpicere potuimus, nec non inimicorum caſtra ad fluvium poſita: vbi ab vtraque parte propugnaculum erat, fluviuſque palis vallatus, vt annona nulla, neque ſubſidia introduci queant. Veſperi anchoram commiſimus profundo 7. Orgyiarum, & bono fundo nigro arenoſo, miliarijs tribus ab Vrbe.

Die 22. Ianuarij. Apparentia Freti & Sinus *Balabuan* ad partem Orientalem Iavæ maioris ſiti.



A. Fretū verſus Boreā, qua fluctus valde egrediuntur & ingrediuntur: quare navis Hollandia anchorā amiſit, & magnū naufragij periculū ſubijt

 ad Occa-



* In hoc ſinu,ſe congregavit ſubſidium Bali,erant hic circa 60. Paraos,militibus plenæ.

Die 22. Ianuarij,iterum anchoras levavimus,& vrbem propius accedere tentavimus,quod fieri non poterat ob fundum vadoſum,& aggerem caſtrorum:quare ad alterum latus anchoram poſuimus in gurgite 10. orgyiarum, bono & anchoris idoneo fundo,ad Ypocorum miliari vno ab vrbe:& Pinaſſam miſimus,vt fluvium aquæ dulcis quæreret,quæ terræ adeo propinqua fuit,quam fieri potuit: & nullum repericns,iuxta naves redijt.Sinus hic rotundus eſt, nonnullis in locis habens terram omnino humilem.

Adhuc ſub velo exiſtentes,vir nobilis nos appulit,qui noctu ex vrbe per terram venerat:hic nobis retulit omnem conditionem obſidionis,& quod civitatis incolæ, defectu annonæ in magna erant anguſtia: & iam multi fame perierint:quodque obſidio æque gravis maneret,& ſi plures quam ter mille ex inimicis tum ex defectu, tum gladio ceciderint, qui in obſidionis initio octies mille fuerunt. Præterea narrabat belli cauſam & orginem: nempe: Quod Rex *Paſſarvan* in matrimonium petijſſet filiam Regis *Ballabuan*,quæ illi miſſa fuit honorabili comitatu:quam,poſtquam concubuerat,occidit. Quod Rex *Ballabuan* intelligens,militem conſcripſit,vt talem iniuriam vindicaret. Sed cum id latere diu non poterat,Rex *Paſſarvan* conſultum videbatur eum prævenire, & in

Cauſa & origo Belli.

vrbe

vrbe propria obſidere, quod, vt ſupra diximus, fecit. Nobilis hic quoque dixerat, quod Regis huius pater adhuc vixerat, qui in Provinciæ interiori parte ſe tenebat gravis annis: & interim mentio fiebat de quadã navi noſtris ſimili, quodq; Rex ille ſenex idem eſſet, quẽ Cãdiſch deſcribit tunc tẽporis 150. annos vixiſſe, atque viros fuiſſe noſtro more veſtitos. Rex 150 annorum. Invenimus hic octo longas, arctas actuarias cimbas, ex inſula *Simbava* miſſas, in ſubſidiũ vrbis *Ballabuan*. Cunctis his diebus rudior his in partibus fuit aura, cum ventis validis & turgidis vridis. Incolæ interrogati an ſemper eo modo cælum ibi affectum eſſet, reſponderunt ipſos met admirari: & quod qui in terra eſſent, dicebant; nos eius authores eſſe, cum non eſſent conſueti talem habere auram. Celocem in terram miſimus, vt aquam quærerent dulcem: ſed præter puteos aquæ ſalſæ nihil invenerint, quare ad naves redierint, & Pinaſſam cum ſcapha ad Sinum miſerunt, ſed nullam potuerunt reperire aquã nobis convenientem ad renovandam aquã, quam fluminis ad quod & vrbs, & caſtra erant poſita. Die 24. per Pinaſſam fundum tentare iuſſimus ſed cernẽtes id impoſſibile, ob fundum vadoſum; anchoras levavimus, & verſus Bali curſum inſtituimus ad Orientem: ſed cũ litori nimis appropinquavimus, iterum anchoras fundo commiſimus: dieque poſtero curſum verſus Bali perſecuti ſumus, vt ibi provideremus rebus neceſſarijs ad vitam, in reditu fruendis. Nam præter Oryzam, & aquæ dulcis parum nihil habuimus. Vidimus quoque ex monte prædicto, horribilem aſcendere fumum, vnde plurimum omnes mirabamur.

De adventu iuxta inſulam Bali, & quid ibi acciderit.

CAP. 42.

NAvigantes quam proxime licuit, flante Cæcia, qui integro anno hic viget; & fluctu ex Notapeliote valide affluente, a Meridie anchoras poſuimus in gurgite 13. Orgyiarum. Eodem die, vento propitio exiſtente, & poſtquam cum incolis locuti eſſemus, qui nobis dixerant paulo vlterius flumen eſſe, vbi omnibus rebus neceſſarijs providere poſſemus, anchoras levavimus, & illuc navigavimus; anchoraſque commiſimus fundo arenoſo, & profundo ſeptem Orgyiarum. Brevi poſt nos appulit Parao, quæ omnia felicia nobis optabat, quodque ibi & annonæ, & aquæ dulci provideremus: & vt eius rei certiores eſſemus, qui ſæpius decepti eramus, eo miſimus die ſubſequente, Pinaſſam cum ſcapha, vbi fluvium invenerunt, ſed parum profundum: quẽ, ob pulvinum qui ad ipſum oſtium erat, difficulter vacua ſcapha ingredi licuit. Ad eundum fluuium erat villa, quæ 60. ædes fere continebat; vbi incolæ maxime ſe exercebant textura panni Goſſypini, cuius egregij artifices erant: quos fecerunt diverſi coloris, & operis: & in circumvicinis inſulis diſtribuerunt; atque tam ad inſulas *Moluccas*, *Ambon*, Regiones vbi negociantur. *Banda*, quam *Iava*, *Bantam*, Sunda, & Sumatram, ſua commercia habuerunt. Plures incolæ nos acceſſerunt, qui ingenti numero parati erant, ad ſubſidium vrbis Ballabuan.


Die 27. Ianuarij iterum vela dedimus verſus excelſum angulum, qui a longe inſula apparebat, & cogitantes die adhuc durante internavigando tranſire, nocte anchoras commiſimus fundo nigro arenoſo, in magno alveo.

Die 29. nos Parao appulit, interrogans vnde veneramus, quid quæreremus, & quo tenderemus: & an ex inſulis Moluccis adveneramus: cui reſponſum fuit, quod non, ſed nos ſtationem quærere, vbi aquæ dulci, & rebus refocillantibus providere liceret: quare ad Orientem nos monſtraverunt, & in terram reverſi ſunt. Poſtero die iterum nos acceſſit Parao, qui nobis fructus aliquos atque Anates donavit, & nos illi viciſſim Regales aliquot, aliaque donavimus. Sub veſperam alia appulit Parao, declarans Regem interrogare, cuiates eſſemus; & velle in ſcriptis habere: quod illi miſimus, nempe nos eſſe Hollandos: quodque amice cum illis negociari vellemus, & refocillationes aliquas emere, aquamque dulcem recuperare: quæ mox in terram reverſa eſt, dieque ſequenti plures *Paraos* nos acceſſerunt. Regis petitio.


Die primo Februarij anchoras levavimus, & curſum inſtituimus, ad ſuperandum angulum quendam inſulæ Bali: ſed renitente nonnihil vento, anchoras iterum eiecimus: tunc rurſus multæ *Paraos* nos acceſſerunt, adferentes diverſos fructus & Anates. Aura erat ſatis rudis; & mirabamur quod inſulani auderent tam valido vento, parvis ſuis *Paraos* navigare, & aquis ſe committere.

Die 2. Februarij, tribus horis ante lucem, iterum anchoras levavimus, ad angulum navigando ſuperandum: ſed cum ventus iterum reniteretur, & obliquando nihil proficere potuimus, ob fluctum adverſantem; coacti fuimus anchoras fundo committere in gurgite 25. orgyiarum. Hic adhuc vidimus ardentem montem *Canarucam* magnos evomere fumos & vapores: fretumque Boream verſus hoc modo ſe detexit, & nullum tranſitum agnoſcere potuimus. Ventum altanum tam validum accepimus, vt navis Hollandiæ anchora, ambos vncos perderet, ſed mox alia demiſſa fuit.

Die 3. Februarij anchoras levavimus, & Portorum promontorium ſuperavimus: ſed navis Hollandia, cum ſero inceperit, non potuit ſuperare, ob ſupervenientem ventorum flatum; quare iterum anchoram eiecit. Nos vero ſuperato angulo ad Boream navigavimus, vſque ad terram humilem, iuxta duos adiacentes ſcopulos; & percepimus diverſos incolas piſcantes; & invenimus nos hic iterum fretum aut ſtrictum ingredi, quod olim Franciſcus Drachius tranſivit, cum vniverſum orbem circumnavigavit. Pinaſſa navigavimus verſus ſinum, vbi fluvium eſſe



Sic ſe detegit Fretum Ballabuan, cum reſpectu noſtri eſſet ad Borthol ybicū: nos quidem eramus ad Porcorum Promontorium.



Delineatio nobilium Inſula Bali, qui a ſervis ſuper humeros geſtari volunt, cum ad Curiam, & aliorſum itinerantur, in ſede cooperta, ex arūdinibus, Bambu dictis, compoſita: qua geſtatione iter expediunt, habētes plures geſtatores, qui viciſſim ſe relevant ab onere: Habent praterea multos ſtipatores ante & retro, multis ſariſſis & ſcutis armatos, tam pedites, quam equites: nec non mulieres, qua ciſtulas cum Betele, & aquarias amphoras portant.



fi[illegible]iamur, [illegible] erat tantummodo terra humilis, fluviolis exiſtentibus pulvinis obſtructis, e quibus pauca ane [illegible]a defluxit aqua recens. Hic anchoram demiſimus, comitem navem expectantes, quæ angulum, vt dictum eſt, ſ[illegible]perare non poterat. quā duæ naviculæ Incolarū appulerunt, adferentes aliquos fructus: omnēque diligentiam adhibuerunt, vt Promontoriū ſuperarent. Die 4. ad terram navigavimus, ad aliquem Incolarum conveniendum, qui nobis aquandi locum monſtraret. Terram appellentes, multos percepimus Incolas; qui, vt videbatur, foro aliquo redierunt, portans quilibet merces quas ibi comparaverat, & per litora armenta duxerunt. Vidimus quoque multos incolas equitantes in litore; & alterum in ſede ſuper humeros geſtatum a quatuor ſuis ſervis, quē

præcedebant

præcedebant 20. fere, ſariſſas portantes, fimbrijs rubeis & albis ornatas. Ad hunc virum miſi vt vnum ex ſuis requireret, qui locum aquandi nobis monſtraret. Hic nobis aliquos miſit fructus, & requiſivit vnum ex noſtris, dando obſides duos ex ſuis; quod factum fuit; ea conditione, quod die poſtero iterũ hic in terram deſcẽderemus.

Die 5. februarij anchoras levavimus, paulo borealius vela dando: & ſcapham rurſus in terram miſimus vt noſtros reducerent, ſervoſque ſecum duxerunt: Vbi veniẽtes, noluit dominus noſtros reddere, poſtquam ſuos ſervos rec:perat, eo quod navis alium occupaſſet locum, & extra ſuum eramus dominium: attamen poſt multa promiſſa, illorum alter per vada ſcapham acceſſit, & ſic ad nauem redijt; qui nobis declaravit, quem pridie geſtatum vidimus, fuiſſe ex præcipuis regionis, qui ægre tulerat nos mane locum mutaſſe: qui & ſervum Luſitanum, quem pro interprete vna miſeramus, retinuerat: cum quo ſubſequente die ad Regem profectus eſt, qui in civitate Bali habitabat in Palatio magnifico. Noſter iſtinc ad eos ſcripſit qui in navi Hollandia erant; quod vna cum ſervo a Rege optime exceptus eſſet: quod intelligentes, nos quoque virum in terram miſimus, vt omnino certiores eſ-

Sinus Padanh *in Inſula Bali, vbi die 9. Februarij aquam recentem, & annonam recuperavimus. Animalium gaudet copia: nempe Boum. Caprarum, Porcorum, Gallinarum, Anatum, aliorumque volatilium. Fructibus quoque abundat: nempe Malis Medicis, Citrys: habetque fructum ſingularem, Pini cono ſimilem, ſed minorem, & per idoneum ad conſervandum in mare: eratque.*



ſemus. Nos equidem conſpicientes, quod noſter vna cum ſervo abduceretur, ſecundum oram cum ſcapha navigavimus, vt econtra aliquos appræhenderemus. Interim duæ *Paraos* viris munitæ navem acceſſerunt, adferentes annonam. Has retinuimus, & ſcapha, ſigno accepto, ad nos remeavit. Tunc vnum ex his ad Regem miſimvs vt illi ſignificaret quid actum eſſet; & quod hos non dimitteremus, donec noſtros reſtitueret: anchoramque levavimus, & Borealius navigavimus verſus aquandi locũ, qui (vt noſtri aſſerebant) ibi eſſe debuit: Vbi die 9. venimus, eratque magnus ſinus, vt hic videri poteſt, ex quo fluviolus effluit, vbi indies aquati ſumus. Literas ſcripſimus ad navem Hollandiam, vt nos accederet: qui hic aquam recentem, omnemque annonam, Boves & animalia minora, & diverſas fructuum ſpecies recuperavimus. Illi vero videntes quod promontorium Porcorum ſuperare non poterant, ad Regis petitionem ſinum intronavigarunt; quia illis dictum fuit, quod ibi aquari poſſent: qui Regi miſerunt vlnas 20. holoſerici, figurati, Corallos rubeos, vitra criſtallina, ſpecula, & plura alia. Illorum legatus cũ ſervo noſtro rediji, referens quam humaniter a Rege exceptus fuiſſet; cum oblatione, quod quæcunque in ſua erant poteſtate, ad noſtrum mandatum eſſent; quodque illis aquam recẽtem mitteret, & omnigenam annonam: miſitque primo quatuor Porcos, & duo vaſa aquæ. Incolæ narrabant, quod ante 18. annos ſimiles adfuiſſent homines, qui funiculum in 5. aut 6. partes ſecaverant; iterumque integrum reſtituebant. Suſpicabamur Franciſcum Drachium fuiſſe. Rex in litore venit curro inſidens, egregie ſculpto; qui a duobus Bubalis albis trahebatur, magnificis pannis ornatus: quẽ eius ſtipatores præcedebant, ſariſſis longis & cannis, mucronibus inauratis præpilatis, armati, vt hic videre licet. Petijt vt in eius honorem aliquot tormentorum eiaculationes fierent; quod factum fuit: poſteroque die alia quatuor aquæ vaſæ ad navem miſit. Alias literas per terram miſimus, vt navis Hollandiæ nautæ accelerarent ad nos venire, qui in loco commodiſſimo eramus, vbi omnia ad libitum recuperare potuimus, quæ ad noſtrum pertinerent reditum: miſimuſque eo Pinaſſam vt eos adduceret. Noſter homo equo a rege miſſus fuit ad hunc ſinum, cum ipſo mittens duos Boves, quos Rex nobis donavit. Hic nobis narravit, quam magnifice a Rege exceptus fuerat, & quã honorifice ibi tractatus fuiſſet. Nos quoque tres obſides in terrã remiſimus, poſtquam annonæ pretium quam attulerant, accepiſſent; & inſuper donum aliquod: quare optime ſatiſfacti terram adnavigarunt. Qui in Leone Hollando erant, intelligentes nos eſſe in bona navium ſtatione, anchoram levarunt, & ad Auſtrum navigabant, vt angulum ſuperarent. Pinaſſam quoque adnavigantem viderunt, ſed Promontorium Porcorum ſuperare non poterant, ante 12. februarij diem; cum poſt multos labores, & patientiam illud ſuperabant, & oram ſequentes, tandem die 16. nos appulerunt; anchoram demitientes in gurgite 25. orgyiarum. Nos illos acceſſimus, & iſtinc terram adnavigavimus, vt ipſis locum aquarum oſtenderemus, & aquam quærere iuvaremus, qui aquæ omnem proviſionem fecimus: & niſi eo die veniſſent, nos illos adnavigaſſemus.

Donaria Regi miſſa.

Rex ad litora venit curro inſidens.

Deſcriptio Inſulæ Bali.

CAP. 43.

Altitudo Poli inſulæ Bali.

INſula Bali ſita eſt ad Orientem magnæ inſulæ Iavæ, cuius Borealis angulus ſitus eſt ſub altitudine Poli Antarctici 8. graduum cum ſemiſſe, continens in circuitu 12. miliaria Germanica: ad Oram Borealẽ valde montoſa eſt, ſe extendens magno excelſo angulo ad Auſtrum, longe in mare. Populi dives eſt; Incolæ AEthiopes, capillo criſpo. Regem habent qui imperioſe admodum toti Inſulæ imperat. Ethnici ſunt, adorantes id quod ipſis mane primo occurrit. Veſtiuntur ſicut Iavani, & vicini Inſulani. Multas habent vxores, eaque de cauſa Inſula populoſa: nam etſi multos vendant, numerant tamen in inſula adhuc eſſe ſexcenta milia hominum. Illorum præcipuum exercitium eſt agricultura, & textura: nam inſula Goſſypij dives eſt, quod & *Sambava* & adiacentibus inſulis advehitur: Armento & grege abundat: vt ſunt Boves, Bubali, Capræ, Porci, & Equi multi ſed humiles, quales ſunt Gallici, vt vix virum armatum portare poſſent. Pauci ex inſula vehuntur, quare ibi numero multiplicantur. Vtuntur ſolum illis, vulgares, ad equitandum a villa in villam, nam Proceres a ſervis ſuis in ſedibus ſuper humeros deferuntur, aut curru vehuntur, qui a Bubalis trahitur. Oryzæ magnam habent copiam, ſed Rex nullam admittit ex Inſula evehere, quæ ab innumera incolarum multitudine ſingulis annis conſumitur: nec non in arcibus, in montanis poſitis, ſervatur in annum non frugiferum; & adverſus invaſionem aliquam exterorum, ne fame premantur, cum agri deſolantur: nam præcipuum eſt nutrimentum in regionibus Indiæ Orientalis. Avium quoque ingenti copia gaudent: quales ſunt Gallinæ, Anates, Phaſiani, Pavones, Perdices, Turtures, aliæque plurimæ. Fructus eorum ſunt *Cocos*, qui ibi abundant, & magnum ſunt Incolarum nutrimentum, ex quibus Oleum premunt, quod admodum ſalubre eſt. Poma aurea, Medica, & Citria plenis ſylvis creſcunt. Alium habent fructum magnitudine Pyri, tenui cortice involutum, ſicut Caſtanea, non tamen adeo ſpinoſo, intus album, grato ſapore aſtringentem, eaque de cauſa adverſus Scurbutum efficacem. Conſervatur Saccharo & muria: nam coctus ſaporem ſalſum amittit, dulciſque fit. Alium & habent fructum ſub terra naſcentem, magnitudine Iuglandis, ſed durior eſt, & perpinguis, quo in edulijs valde vtuntur. Habent quoque Phaſelos virides, & albos; & inſuper omnigenos fructus Iavæ. Nullas ſpecies apud illos animadvertimus naſcentes, niſi Zingiber: quod per vniverſam

Mores Incolarum.

Inſulæ foecunditas.

Indiam creſcit: ſed nonnulla Medica; vt ſunt *Galanga, Deringuo, Canior, Bangue*, & alia. Mare illorum piſcoſum, piſcibus cum magnis, tum parvis abundans: maximo eorum nutrimento. Nullam aut paucam negociationem habent maritimam, niſi exiguis *Paraos*, quibus oras Iavæ petunt, ad diſtribuendum pannos Goſſypinos. Communis eſt navium ſtatio, navium quæ Inſulas *Moluccas, Bandam, Ambon, Macacer, Timor* & *Solor* navigant: quæ ſemper hic appellunt, vt annonæ provideant, quæ hic abundat, & vili pretio comparatur. Venduntur & hic panni Goſſypini magna copia, qui tranſvehuntur ad prædictas inſulas: ſimiliter & in reditu appellentes, ob cauſam prædictam, pannos Goſſypinos diverſi coloris emunt, Iavam deferentes, præſertim vt vendant in portubus quos plærunque ingrediuntur, commercia ſic navigando exercentes multis in locis, ementes & vendentes, quod illis vtile videtur.

Incolarum negociatio.

Ipſorum arma ſunt haſtæ longæ, & pugiones flammiformes, ſicut Iavanorum, ſed maxime Cannæ ſunt, quibus efflant tenues ſagittulas arundineas, intoxicata cuſpide, quæ plurimum timendæ: nam ſicut vltra duos digitos latos corpus non intrant, cuſpides rumpuntur, quæ in illum finem ſemi perſciſſæ ſunt, & in corpore manēt & carnem toxico inficiunt, & putrefaciunt; nec non dolore adeo inflammant, quod ſæpius brevi poſt vitam terminant. Indi vulnus mortale æſtimant, & ſi novem ex noſtris diverſa vulnera accepiſſent in expugnatione navis Indicæ: qui nullum ſentierunt dolorem alium, quam puræ arundinis, vnde Indi plurimum mirabantur. Habent & clypeos, ſicut Iavani. Sinenſes quoque aliquando hic negociantur, qui Machæras, quibus & hic utuntur, & Porcelania vaſa panno Goſſypino commutant. *Caxia* parvæ hic curſum non habent, ſed ſolum magnæ, quarum ſex mille Regali ex octo cambiunt, quibus omnes merces emunt & vendunt.

Incolarum arma.

Habet quoque inſula diverſa metalla; nempe ferrum, Cuprum, & Aurum: at Rex non vult Auri fodinas aperiri. Noſtri qui apud Regem erant, multa aurea & deaurata pocula viderunt, plura quam apud alium Regem aut Principem vnquam vidimus: & ſi multa fuerant viſa apud Proregem Bantanum, quæ a Sinenſibus ipſi fabricata fuerunt, ſed multitudine & valore his minime comparanda. Nam hic Rex magnifice & tam ſuperbe ſę habet, quod ipſius præcipui proceres vix eum alloqui audeant, quam iunctis manibus. Præter Regem, Gubernatorem habent, quem *Quiller*

Inſula diverſa habet metalla & aurum.

Effigiem hic vides Regis Bali, qui nobis magnam amicitiam oſtendit: hic ſuo ſic inſidens curru, a duobus Bubalis albis trahitur. Stipatores gerunt haſtas mucronibus deauratis propilatas, ſuntque canna, quibus ſagittulas efflant: quod optime percepimus die 2. Novembris proxime elapſo, in velitatione quibus novem ex noſtris vulnerati fuerunt.



t* nominant

Inſulæ Bali Corographica deſcriptio.



ominant. Hic Inſulam gubernat, vt magnus Cancellarius Poloniam: & quidquid facit, factum manet. Huic ſubſunt plures alij Domini, quorum quilibet, Regis nomine, ſuam adminiſtrat Prouinciam, quod magna fit cõcordia: & ſi quis ſit qui velit rebellare, mox ab alijs opprimitur, & ſaltem in exilium mittitur, ſicut ante 10. vel 12. annos accidit vni ex Regis conſanguineis proximis, qui Regi ſe oppoſuit, magnamque in eum conſpirationem ſecerat, vt ipſum in ædibus eius opprimeret & interficeret; & in illum finem multos congregaverat: ſed conſpiratione detecta, omnes capti fuerunt, & morti adiudicati: Rex vero multitudinis miſereſcens, ſententiam mutavit, & in inſulam deſertam & incultam exules miſit, quæ ſita eſt ad Notapeliotem Bali, Pulo Roſſa, aut Inſula ſylveſtris dicta: vbi & nunc habitant, & Regis Bali imperio ſubſunt: inſulam tamen Bali intrare non poſſunt. Inſulam nunc optime coluerunt, & populoſiorem reddiderunt, eo quod ipſorum adhærentes & ſervi erant plurimi: & Armenta valde ſunt augmenta a & multiplicata. Sunt quoque Ethnici, vt incolæ Bali. Hic quoque obſervatur perniciosus ille mos, cum viri obierunt, quod cum ipſorum corpore exanimato, plures mulieres comburantur, affundendo Olei plurimum & lignum Santalum; dicentes probas eſſe matronas, & virum diligentes, quæ cum ipſo comburuntur. Quod in futuro ſæculo viro coniungentur, & cum ipſo vivent; quod in India quoque fit. Mos hic primo fuit conſtitutus a Rege, quia mulieres levi de cauſa maritos toxico necaverãt, diverſis modis, cum thalami pertædebat, & alium adamabant. Rex ille, animadvertens quod per mulieres præcipuos ſuos viros amiſerat, hanc legem inſtituit: per quam talis mortalitas ceſſavit: & vt nobis relatum fuit, Princeps quidam obierat, cuius corpus cremaretur, & cum ipſo 50. mulieres, res profecto viſu horribilis; & talis quam nullus noſtrum videre deſiderabat.

Coniuratio in Regem.

Mulieres vivæ in ignem ſe conjiciunt & cremant.

Quid

Quid præterea in Inſula Bali acciderit, & reditus noſter patriam verſus.

CAP. 44.

AD anchoram exiſtentes in ſinu, vt dictum eſt, diligenter rebus neceſſarijs providimus, in reditu conſumendis: & indies terram adnavigavimus, ad reliquas naves aqua providendas.

Die 16. Februarij, Rex miſit cum noſtris Gubernatorem, aut *Quillor*; nobis offerens omnem amicitiam, & petijt vt pulverem pyrium, & aliquos ſclopos illi daremus: quæ illi miſſa fuerunt: ille vero viciſſim Quadrupedia magna & Porcos nobis donavit.

Die 20. Februarij, in terra exiſtentes, duo ex noſtris regionem ingreſſi ſunt, qui abeuntes dixerunt alijs, quod ſi diu abeſſent, ipſos non expectarent: de quibus deinde nihil intelleximus, quãvis pluribus vicibus de illis quæſivimus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Figura demonſtrans quomodo mulieres poſt mariti obitum, ſecundũ leges Indiæ Orientalis, & aliquarum Inſularum, cum córpore ardente mariti viva in ignem ſe conijciunt, & cremantur; ad ſonitum diverſorum inſtrumentorũ muſicalium tripudiando; quas comitantur proximiores conſanguinei, qui animum addunt, dicentes quod alterum ingrediuntur mundum, vt omni gaudio cum marito fruantur: ſecum deferentes pretioſiora ornamenta, vt in altero mundo ijs fruantur.



Die 21. Februarij anchoras levavimus, vt ad patriam navigaremus: ſed renitentibus malacia, & adverſi Ventorum flatibus, iterum anchoras poſuimus in gurgite 12. orgyiarũ: & poſtero die vela fecimus, curſum mare verſus inſtituentes, vt ad Auſtrum Iavæ veniremus, duabus cum magnis navibus, & Pinaſſa: nam tertiam ſub inſula *le Bock* igne conſumſimus, vt dictum eſt: quibus in navibus eramus, cum ægri, tum ſani 90. viri, ex 249. quibus æquidialem tranſivimus lineam: ita vt 159. mortui eſſent: ſicque navigavims ad Africum, & Ypafricum, valido & æquali ſpirante Notapeliote, & maris fluxu ſecundo. Die 21 anchoræ levatæ & reditus patriam verſus.

Die 5. Aprilis, navis fiſſuram ſentijt, ita vt quadringentos hauſtus ſentinare coacti fuimus, & aquam difficulter Die 5. Aprilis navis læſa fuit.

evacuare contigit; tandem fiſſuram invenimus ante malum ad latus velo oppoſitum, in commiſſuris ſubligaculorum: ſuſpicamur id accidiſſe ex nimia tormentorum eiaculatione: nam ibi erant duo magna tormenta ænea, quæ ſæpius fuerunt exonerata. Poſt aliquot dies ſimilem invenimus fiſſuram ad latus veli in eiſdem commiſſuris; ſed rurſus obturatæ fuerunt: nos vero iter noſtrum perſequentes, die 24. deteximus terram *de Natal*, terram nempe altam & planam, quæ extendit ſe in longum miliaria 13., ad Africum & Cæciam. *Caphres* ſiue ſylveſtres, nos percipientes, fumos excitarunt magnos: & ſatis apparuit quod non ſolum validus Notapeliotes, ſed & fluctus ex eadem parte, favorabiles fuiſſent: nã coniecimus nos eſſe vltra 200. miliaria a terra, ſecundũ noſtram cõſiderationẽ; non obſtante quod Pyxis nautica nos non longe a terra diſtare monſtraret, quæ parum aut nihil ad Borrolybicum declinabat. Meridie Poli altitudinem invenimus 33. graduum 10. ſcrupulorum, flante vento regionali. Deinde ſpiravit Zephyrus, cum tempeſtate, vnda brevi, & turgidiſſima. Navigavimus ad Notapeliotem & Phœnicem: deinde direximus verſus litora, eo quod fluctus nimium nos pellebant ad Auſtrum; quod iuxta litora non ita accidit.

Die 24. vidimus terram de natal.

Die 26. Aprilis nocte; nos, ſicut & Pinaſſa, a litore declinavimus: at navis Hollandia ſecundum litora navigavit, dieque ſequenti e mutuo eramus conſpectu, quæ tempeſtatem tantam paſſa eſt, vt tria eius vela vento ablata fuerant; nec nos a tempeſtate liberi fuimus: qui diei quadrante ſine velo navigavimus, & in magno eramus periculo, ob turgidas vndas, & navis noſtræ apertionem: quæ ex multa tormentorum eiaculatione labefactata erat, & aquæ plurimum hauſit. Iterum verſus litora direximus, & rapida hac aura, & tempeſtate valida ex Occidente, ſine velis navigavimus: Meridie altitudinem Poli invenimus 36. graduum: ac miliaria 23. pulſi eramus a validiſſimis fluctibus, qui ibi Notolybicum petunt. Bolidem eiecimus, ſed fundum non tetigimus, & ſi ſuſpicabamur fuiſſe nos ſuper fundũ Promõtorij *Daguillos*: dieque 28. huius, hoc cælo tẽpeſtuoſo, & validis vndis, habuimus 36. gradus cum ſemiſſe elevationis Poli, ſine velis navigando, flante Aſtico, & curſu facto ad Borrholybicũ proxime.

Aves quæ ſignificant non longe abeſſe a terra.

Die 30. multas percepimus aues, roſtris albis, ſignum nempe, quod non longe aberamus a terra: nec non aves *Faiſions* dictas, maculis nigris & albis.

Die 6. Maij, mane retro nos vidimus ad Cæciam Promontorium *Daguillas*, humili cuſpide in mare ſe extendens.

Trombas, ſive arundinis plantæ fluctuantes.

Die 7. coniectura prætematavimus Promontorium Bonæ Spei, curſumque fecimus ad Borrholybicum. Die 8. & 9. adhuc vidimus fluctuare *Trombas*, ſive magnas arundinis plantas: ſicque navigavimus vſque in 23. diem ad Borrholybicum & Corum, & tunc obtinuimus altitudinem Poli Inſulæ S. Helenæ, quare curſum direximus ad Ypafricum, & die 25. mane, nobis ſub conſpectum venit, alte elevata apparens, cum 14. miliaria aberamus. Sub veſperam thoracia carbaſa ſubſtrinximus, & ad ventum tenuimus ne ipſam prætemavigaremus, & hac nocte obliquavimus. Poſtero die mane navigavimus ad Occidentem & Corum, verſus inſulam, quæ adhuc diſtabat miliaria quatuor. Pinaſſa, vt decretum erat, præceſſit; que iuxta & proxime angulum Borealem navigavit & ſuperavit, vt ad navium ſtationem veniret, ubi conſpectæ fuerunt quatuor magnæ Dromones Luſitanæ anchoratæ, quæ primo appulerunt ad recuperandum, pro more, aquas dulces, & refocillantia: quia hæc inſula, & ſi nemo in ea habitet ex mandato Regis Portugalliæ & Hiſpaniæ, gaudet maxima copia Pomorum Aureorum, Medicorum, Citriorum, Hœdorum, Caprarum, Porcorum, & multorum volatilium: vt ſunt Gallinæ Numidicæ, Perdices, Coturnices, & aliæ plures. Ora quoque maritima piſcium dives eſt: & terra multas & diverſas plantas ſalubres producit. In circuitu fere ſeptem continet miliaria: eſtque per ſe eineritia, & valde ſicca: nec non omnes quas habet arbores, quæ plurimæ ſunt ſponte naſcentes, & ipſarum ligna, ad nulla conducunt, quam ad comburendum: nonnullis in locis Sulphur habet. Cum Luſitani hanc primum detexerunt, nulla aderant animalia, nec fructus: aqua dulci tantummodo abundabat, quæ ex montibus, in vallem deſcendit, & inde mare petit: vbi Luſitani aquam dulcem renovant, & ſe reficiunt. Eſt vallis hæc ob viriditatem tanta animalium & volatilium copia gaudens, vt lapidibus poſſent occidi: & quamvis duplo plures appulerent naves, ſemper ſat abundarent: & qui venari velit, poteſt: ſic quoque eſt de fructibus & herbis, dictu mirum, cum nullus ibi habitet: & tantummodo parum colitur interim quod Luſitani adſunt. Habet quoque ad litora Salis plurimum, commodiſſimum ad ſaliendos Hædos, Porcos & Piſces, ipſoſque conſervare in vſum navigationis: ita vt commodiſſime, Dei providentia, ibi ſit poſita & fundata, ad recreationem illorum qui laſſi ſunt ex navigatione in Indiam Orientalem. Inſula hæc nomen S. Helenæ obtinuit, quia in die S. Helenæ ſacro, inventa fuit, nempe die 21. Maij; verum tempus in quo Luſitaniæ naves plærumque ibi appellunt, vt nos comperimus, ſicut ſupra dictum eſt. Superato igitur angulo Borrholybico, invenimus ad anchoram poſitas quatuor naves magnas, quarum nautæ aut claſſiarij pro maiori parte in terram deſcenderant, vt rei neceſſariæ providerent. Pinaſſa ipſis propinquior facta, tormentum eiaculavit, indicans periculum adeſſe, quod nobis moleſtum fuerat: & convocato Conſilio nautico, deliberavimus, ſi tantum vna ad anchoram eſſet navis Luſitana, quod anchoram demitteremus a parte velo oppoſita: ſed magis appropinquantes, quatuor conſpeximus naves magnas: quare ſinus velorum obliquavimus, & curſum direximus patriam verſus. Illi vero nos percipientes, ſuos omni diligentia ad naves revocaverunt, nam eorum naves non erant munitæ. Sed poſtquam bis curſum obliquavimus & ab inſula ſeparati eſſemus, navem conſpeximus, quæ nos proxime adnavigabat, & nos verſus eandem: & appropinquantes, vidimus navem Hollandiam eſſe: quare plus gaviſi fuimus ob eius adventum,

Die 25. Maij Inſulam D. Helenæ deteximus.

Inſulæ fecunditas.

Delineatio inſulæ S.Helenæ, & eius ſitus: eiuſque facies ab Oriente adnavigātibus: & a parte Borrholybica; in navium ſtatione exiſtentibus; eius longitudo, latitudo, & fœcunditas. Inſuper habes hic quatuor magnas naves Luſitanas, vulgo Craken, ad anchoram poſitas, quæ ſingulis annis ibi annonam renovant, ex Hœdis, Capris, Porcis, Gallinis Numidicis, Perdicibus, Columbis, alyſque volatilibus, quæ ibi abundant: nec non multis herbis ſalubribus & fructibus, maxime Pomis aureis, Medicis & Citrys. Res quoque aquariæ provident, quæ ibi ſaluberrima eſt, ob calū temperatum, & fœcundum.



adventum, quam triſtes ob obſtaculum quod ſub inſula invenimus, vbi hoſpitium amiſimus. Poſt eiaculationem vtrinque factam honoris ergo, ſimul cōcluſimus curſum patriam verſus inſtituere: nam groſſo modo ſumptum, habuimus adhuc 13. cados, & 17. vaſa aquæ. Viderant ipſi duas parvas naves Gallicas, die 16. huius, ſub Poli altitudine grad. 22. ſcrup. 50. ſed convenire non poterant, quia timore affecti curſum direxerunt ad oras Angolæ & Borrhapeliōten: & die 24. Luſitanam navem magnam, ante illos conſpexerant, quam a longe noſtram exiſtimabant: cumque nullam aliam ibi ſuſpicaretur, quam comitem navem, ipſam expectavit, & pacis vexillo lignum dedit. Poſt vero agnoſcens Battavam eſſe navem, & in ſuo itinere navigantem in ſuperiori parte, vexillum ſanguinis gnomoni maiori affixit, & vento commiſit: & mox in noſtros duo tormenta eiaculavit: noſtri vero econtra in illam quinquies eiaculati ſunt, tenuitque quælibet navis ſuum curſum verſus D. Helenæ inſulam, vbi reliquæ tres ad anchoram poſitæ erant: quæ quam primum navem Hollandiam conſpexerant, tormentum exonerarunt, vt ſuos ad naves revocarent, qui cum veneramus cumulatim ad naves remeabant. Nos, vt dictum eſt, curſum noſtrum direximus ad Borrholybicum, patriam verſus, cum continuante Cæcio flatu: & veſperi in noctis primo quadrante dimenſi ſumus Poli altitudinem 15. grad. 30. ſcrup. Die vero primo Iunij multas conſpeximus aves; quare ſuſpicabamur nos non longe abeſſe ab inſula *Aſcenſionis*. Deinde curſum noſtrum perſequentes in diem 6. Iunij, navigantes ad Ypocircium, die 7. Lineam tranſivimus verſus Arcticum, quam duobus integris annis elapſis, quibus in itinere fuimus, non tranſivimus: curſumque noſtrum perſecuti ſumus ad Circium, & Ypocircium, flante vento Notapeliote & Phœnice, qui per integrum annum ibi continuo ſpirat.

Sub Poli altitudine 22. grad 50. ſcrup. duæ parvæ naves Gallicæ viſæ.

Die 1. Iunij aves vidimus.

Die 17. Iunij multum pulveris in nave Hollandia a vento miſſum fuit: quare ſuſpicabamur nos non longe abeſſe ab Inſula D. Antonij, quæ Occidentalior eſt inſularum Promontorij viridis. Sunt hæ inſulæ numero 10.

N 2 a Luſitanis

Inſulæ Promontorij viridis.

a Luſitanis habitatæ: nempe D. Iacobi, S. Antonij, S. Vincentij, S. Luciæ, S. Nicolai, Inſula Doſal, Inſula boni viſus, Inſula Maij, Inſula Ignis, & Inſula Brava. Cum Luſitani has primo detexerunt, erant depopulatæ & deſertæ: nunc autem abundant Oryza, Milio & Frumento Turcico, ad Incolarum nutrimẽtum. Producunt quoque multa *Poma Aurea, Medica, Citria, Bannanas, Annanas, Ygnanes, Batatas, Melopepones, Pepones, Cucumeres*, & varios alios fructus: ſimiliter & vitem viniferam, & botros bis in anno: ficus Hiſpanas, & Sycomoros, aut ficus ſylveſtres. Armento & greges abundant, preſertim Hædorum, in Inſulis *May, Boni viſus, & Doſal*, vt integræ naves ijs onerentur, & Braſiliam vehantur: qui hic commodiſſime ſaliri poſſunt, eo quod hæ inſulæ Sale abundant, qui in litore, & terra humili eijcitur, & poſt coagulatur. Volatiliũ quoque copiam habẽt: vt ſunt Gallinæ Numidicæ, Perdices, Coturnices, Alaudæ, & avium genus a Luſitanis Flamencos dictũ, plumis albis in corpore, rubicundis in alis, magnitudine Cygni, aut Ciconiæ; Gallinæ domeſticæ, Pavones, Cuniculi, Ardeæ, & Turtures plurimi. Mare habent piſcoſum, quare & ibi plures Dromones ſunt piſcantes, piſceſque & ſalſos & areſactos in Braſiliam transferunt. In inſula Maij Equos vidimus, ſed paucos. Metropolim habet inſula D. Iacobi, vbi Gubernator habitat, qui nomine Coronæ Luſitaniæ has inſulas gubernat. Hic & Epiſcopus ſedem ſuam habet. Habet Eccleſiam Cathedralem & alias paſtorales. Inſulæ ſunt optimæ ſitæ, his qui longum iter navigant, ad aquam dulcem renovandam. Nam inſula Maij, ad Orientem habet fluviolum fluentem, quæ deſerta eſt, quare ſine impedimento aquari licet, in eundo, ſicut in reditu aquari poteſt, appellendo inſulam D. Antonij, vbi egregius aquandi locus, multique fructus, maxime Poma aurea egregia. Habitant hic nonnulli Luſitani, ſed hoc impedire non poſſunt. In animo erat, ſi modo aquæ defectum habuiſſemus, hic appellere: tamen curſum debuiſſemus inſtituere, poſt Lineæ tranſitum, paulo Orientaliorem. Has ergo inſulas prætervavigantes, navigavimus deinde ad Boream, & Meſocircium. Hic intravimus initiũ Maris Sargaſſi, duravitque donec 34. altitudinis gradum conſecuti ſumus. Sargaſſum herba

Icones arundinum Trombas, *quæ vt plurimum inveniuntur in 20. aut 25. miliarium diſtantia ad Occaſum* Promontorij Bonæ Spei: *ſuntque certa notitia ſigna, quod prope Promontorium ſunt. Inveniuntur ſimiliter circa inſulas* Triſtani dAcugna, *ſed non tam longe, ac ille Promontorij. In eadem regione herba* Sergaſſo *invenitur, ſicut cum venitur ſub gradibus 15. Poli Arctici, vſque ad 35. gradum: diſtando ab Oris Guineæ 200. miliaria fere.*



eſt magna

eſt magna hic quantitate fluens, neſcitur vnde veniat, aut vbi creſcat; nam alijs in locis non conſpicitur: quæ vt cognoſcatur, appoſuimus eius Iconem, nec non Arundinis *Trombas* dictæ: quæ apparentia ſunt ſigna Promontorij Bonæ Spei, ſicut & Corvi roſtris albis.

Die 10. Iulij adoleſcens e navi Hollandia in mare decidit, cum egregio navis progreſſu, qui tamen ſuo felici omine, ſalvatus fuit in Pinaſſa, quæ ſemimiliare poſt ſequebatur.

Die 12. coniecimus nos eſſe prope Inſulas Corvo & Flores: ſed terram non percepimus, ſub altitudine 37. graduum.

Die 13. Iulij, videbamur terram videre: incerti tamen ob auram obſcuram.

Die 17. Navigavimus ad Cæciam: flavit Phœnix, ita vt die 5. Auguſti nos eſſe coniecimus in Canali, ſub Poli altitudine 47. graduum, curſum dirigentes ad Borrhapeliotē & Aquilonem, vidimuſque natare Lentem marinam vulgo *ſleencroos*.

Die 6. Auguſti, flavit Zephyrus; mane bolide fundum tentavimus 80. Orgyiarum. Sub veſperam navem conſpeximus, cum apluſtro Principis ventis commiſſo; quem accedere non potuimus, quia nobis erat a latere velo oppoſito. A Meridie Heiſſandum vidimus, quare plurimum gaviſi fuimus, qui fame & frigore premebamur. Die poſtero percepimus terrā firmam Galliæ, curſumque fecimus ad Occidentem, & velum vidimus: eodem die conſpeximus vulgo *de Kiſeas*, & poſt Meridiem Angliam.

Die 9. Auguſti fretum, vulgo *de hoofden* intravimus, vbi navem præſidiariam vrbis Amſtelrodami vidimus, quæ nos comitata eſt: ſed renitente Vento rudiore invicem appellere non licuit, niſi die ſubſequente. Hæc nobis dedit Cereviſiam, Panem & Caſeum, quæ nobis neceſſaria fuerunt, non obſtante quod ſanitati obeſſent: nam humores in tibijs augmentati ſunt: cumque magna oriretur tempeſtas, nos ad *Petten* anchoram demiſimus, ubi navis Hollandia anchoram & Prymneſium amiſit.

Poſtero die nempe 11. Auguſti, Texeliam navigavimus, vbi Bolidis nautæ nos appulerunt, & introduxerunt: ſicque longū & moleſtiſſimum iter noſter abſolvimus, in quo Deus Opt. Max. ex multis & varijs nos liberavit periculis. Navis Hollandia, viris nimis labefactata, non potuit anchoram levare: ſed ad anchoram remāſit: quæ ſub veſperam tantam tempeſtatem paſſa eſt, vt malum amputare coacti fuerunt, & ſummum naufragij ſubirent periculum: quæ tempeſtas perſeveravit in 14. diem; ceſſante tunc vento, Bolidis nautæ navem appulerunt, qui anchoram levare iuvabant: ſicque poſt multas moleſtias atque pericula intronavigarunt: ad Dei Omnipotentis laudem, qui nos ſalvavit: Cui Gloria, laus & Honor ſit ab ævo in ævum. Amen.

De Ponderibus, Menſuris, & Monetis Indiæ Orientalis.

CVm nuper noſtra natio negociationem inceperit in India Orientali, non male opportunum videtur hic adiungere Pondera, menſuras, & Monetam; quibus illic ponderatur, Menſuratur, & quæ curſum habet: Incipiendo a ponderibus, reducendo ad Pondera Luſitanica, & deinde ad noſtratia.

Olim ponderabatur in India per *Bahars*, quodlibet Bahar complectens quatuor Cantars, quorum ſingula continebant 120. Aracoles, aut 20. Faratelos: quarum quælibet ponderat Olyſſiponæ, Arobam 32. librarum: & quinque faciunt Cantar vnum aut 480. Aracoles: & quodlibet Bahar equivalebat quinies Centenarium magnum.

In *Malacca, Achem*, & locis vicinis, ponderant *Bahars*, cuius duæ ſunt ſpecies, magnum & parvum. Magnum *Bahar* continet 200. *Cates*: & quodlibet *Cates* 26. *Tayels*, aut vncias 38. & ſemis, Luſitanici ponderis. Nam quodlibet *Tayel* ponderat vnciam & ſemis fere: & hoc pondere ponderantur, Piper, Zingiber, Caryophylli, Nuces myriſticæ, Cinnamomū, TamarIndi, Zerumbeth, Lacca, Macer, Macropiper, Saccharū, Mirobalani, Lignum Santalum, Indigo, Alumen, aliaque plura.

Bahar parvum continet quoque 200. *Cates*: & quodlibet Cates 22. *Tayels*, aut vncias 32. cū vnciæ Octavi parte: nam in minori pondere continet *Tayel* vnciam & ſemis large: hoc pondere ponderatur; Argentum vivum, Cinnabaris, Cuprum, Biſmutum, Stannum, Plumbum, Ebur, Sericum, Muſcus, Zibethum, Ambra, Calambac, Lancros, Caphura: ſed in India ponderatur Caphura, Mirrha, Caſſia, Xylo Aloes, Rhabarbarum, Spica Nardi, per *Faratolam*; quæ, vt dictum eſt, continet 31. libras Olyſſiponæ. Aliud habent quoque pondus, quod *Maon* aut Manū nominant, ponderans 27. libras, quo Aromata medica *Cambaia* ponderantur; pluraque alia quibus Pharmacopæi vtuntur.

Crocus alio venditur pondere *Almene* dicto, ponderans duas libras. In Sinarum regione ponderatur quoque per *Bahar*: & quodlibet *Bahar* ibi continet 300. *Cates*: quæ in *Malacca* 200. Cates efficiunt. Nam 3. *Cates* Sinarum, parvi ponderis, faciunt in *Malacca* 2. Cates. Cate 1. Sinarū, continet 16. *Tayels*, quæ in Malacca ſunt 14. *Tayels*, ſive vnciæ 21. Luſitani ponderis. Et quodlibet *Tayel*, ponderat 10. Maſa; & Maſum 10. Conduri: His duobus ponderibus ponderatur Argentum, cum aliquid emunt, cum nullam habeant Monetam, ſed in parvas particulas ſcindunt omne Argentum. *Bantam* & in tota Iava, & Inſulis vicinis, *Tayel* continet tantummodo 8. *Maſa*, & in Malacca 10. & duo Regales ex 8. ponderant 7. Maſa. Vtuntur alio quoque pondere, quod *Manum* appellant, vt in India: pon-

dia: ponderatque ſolummodo 12. *Cates* exigui ponderis, ex 22. *Tayels*, quod eſt 16. large: ſed in Cambaia & India, continet, vt dictum eſt 27. libras, omnemque annonam eo ponderant.

In Sinarum regione vtuntur pondere quod *Picol* nominant, pōderans 66. *Cates* & beſſem; ita vt 3. *Picol* præciſe Babar vnum pondereut: quod eſt 200. *Cattes*: & hoc pondere Sericum ponderatur.

In Europa ponderantur Adamantes, & Rubinis, & aliæ gemmæ, per *Kyrates*, & ſinguli *Kyrates* ponderant grana quatuor. In India per *Mangalins*, ponderantes grana quinque: ſed Smaragdi, per Rates ponderantur 3. granorum.

In Pharmacopolio vtuntur parvo pondere, vt *Metricol*, ponderans trientem mediæ vnciæ. *Metricoli*, quadrantem ſemivnciæ. Hæc ſunt quæ de ponderibus eorum reſcire licuit.

In India, *Cambaia* & *Bengala* menſura eſt qua Oryzam vendunt, ponderans fere libras 500.

In Iava, & locis vicinis, alia parva eſt menſura *Ganta* dicta, continens circa tres libras Piperis: & 17. faciunt Saccum, quem *Baruth* vocant, qui 54. aut 56. libras ponderat Battavas: & tantum ponderare debet Saccus Piperis. Vtuntur quoque menſura *Gedeng* dicta, qua omnia grana menſurant, quæ continet circa 4. libras Oryzæ.

Quantum ad numiſmata & Monetam attinet, ſciendum eſt quod ipſorum præcipuæ Monetæ in India, & ad Oram *Malabar* ſunt Pardavves Pardaos Seraphins; ex Argento, ſed vili: cuduntur Goæ, habentes ab vna parte D. Sebaſtianum, ab altera faſciculum ex quatuor colligatis ſagittis: valent tres Teſtones, aut 300. Reis Luſitanos. Nummorum quoque computo vtuntur, qui Tanga vocantur, non quidem ſpecie; ſed 5. Tangæ, equivalent vni Pardau Seraphin, nempe monetæ vilis. Nam habent duos computandi modos, bonæ & vilis monetæ: & 4. Tangæ bonæ monetæ, æquivalent 5. Tangis vilis monetæ: quare ſemper diſtingui debet, interrogando bona aut vili vendant moneta.

Vtuntur quoque in computo *Vintinis*, non in ſpecie, vt in Luſitania. Horum 4. bonæ monetæ, aut 5. vilis monetæ, Tangam efficiunt. Minimus nummus *Baſarucos* dicitur, quorum quindecim bonæ monetæ, faciunt 18. vilis monetæ. Fuſi ſunt ex vili Stanno, & 365. *Beſarucos* efficiunt Pardau Xeraphin.

Habent alium quoque nummũ, quem *Fanos* nominant, & 20. faciunt *Pardau* vnum, æquivalent duobus ſtuferis noſtræ monetæ. Vtuntur quoque nummo ex Perſide *Larrin* dicto, ab vrbe *Lar*, vbi cuditur: oblongus eſt tanquam filum argenteum duplicatum, ab vno latere ſignum aut characterem habens Regis Perſarum. Vtuntur ſimiliter aureo nummo, quem *Pagodes* nominant; huius ſunt duæ aut tres ſpecies: qui ſemper valet vltra 8. Tangas. Cuduntur Narſingæ, Biſnagar, & in locis vicinis, ab Ethnicis & Indianis: habentque ab vna parte Idolum in forma Diaboli, ſedens in ſede: quare & Ducati veneti nominantur Pagodes, qui Sichini nominantur, & ibi per Ormus advecti magna quantitate, curſum habent: ſicut & qui ex Turcomania adferuntur, qui plærunque 2. *Pardaos Xeraphins* faciunt. Habent & alium nummum aureum S. Thomas, dictum quia ab vna parte habet effigiem S. Thomæ: ab altera vero crucem longam: ſemper valet plus 7. & aliquando 8. *Tangas*.

Regales ex 8. qui ex Luſitania adferuntur, & *Pardaos* vocantur, ibi curſum habent, ſed nulla alia moneta Hiſpanica. Hi plærunque cum primo Luſitanæ appellunt naves valent 436. Rez Luſitaniæ: deinde valor augmentatur, in cambiendo, cum quæruntur ad vehendum in Sinarũ regionem: at nunquam minus valent. Et quando emitur & venditur, ſemper diſtingui debet, qua Moneta ſolvetur, aut per *Pardaos Xeraphins*, Pardaos Regales, aut Pardaos aureos, quorum nulla eſt moneta ſpecialis: ſed ita ad diſtinctionem vtuntur. Nam cum emuntur aut venduntur Margaritæ, Gemmæ, Aurum, Argentum, Equi, explicant, tot *Pardaos*, ſed intelliguntur ex 6. *Tangas*. Sed in reliquarum mercium emptione, cum nihil diſtinguitur, ſolummodo intelliguntur *Pardaos* ex 5. *Tangas*. Habẽt quoque in vſu *Pardau* de Laryns, quod eſt 5. *Larrins*. Hæ ſunt monetæ quibus vtuntur in computo, Goæ, in India, & ad oras *Malabar*. In Malacca, vtuntur quoque nummulis ex Plumbo, qui ab vna parte Sphæram habent, & ab altera Portugalliæ crucem. In Sumatra curſum habẽt *Pagodes* prædicti, habentes ab vna parte Diabolum triplici Diademate coronatum, & in ſede ſedentem: ab alia parte Dynaſtam in curro triumphali, qui ab Elephãte trahitur. Sunt & plures aliæ particulares monetæ, que tantummodo curſum habent in Iuriſdictione eius qui cudit, vt fit in Germania. Bengalæ vtuntur loco *Baſarucos* concharum ſpeciem, quibus negociantur. In Sinarum Regione nulla vtuntur moneta, ſed Regales, & Argentum in particulas ſcindunt, quibus negociantur, ponderando vt ſupra dictum eſt.

Menſura qua vendunt pannum Holoſericum, Lineum, & alia quæ ex Occidente veniunt, eſt *Covado* Luſitaniæ, continens 2. vlnas, & octavam: aliter plærunque venditur per dimidios & integros pannos: nam eorum panni certam habent menſuram, nempe 14. aut 15. vlnarum, tam in Sinarum regione, quam alijs in locis.

FINIS.